



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.  
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**


**Probus, Johannes**

**Monachij, 1731**

**VD18 12260568**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](#)



Th 4956



Th 4956

CHRONICON  
MONASTERII  
BÖDECENSIS  
ORDINIS CANONIC. REGUL.  
S. AUGUSTINI  
In Dioecesi Paderbornensi  
scriptum  
SÆCULO XV.

JOANNE PROBO CANONICO REGUL.  
Congregationis Windesheimensis ejusdem  
Monasterij Professo.  
*Collegii S.j.* *Paderbor*  
*Nunc primum* *Bil. Thod. Paa'.*

Ex Manuscripto ad multorum vota ob  
singularia facie antiquitatis monumenta in lucem  
editum

M. DCCXXXI. Th 4186

---

Prostat Monachij apud Joannem Lucam Straub, Statuum  
Provincialium Typographum.

AKADEMISCHE  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN  
LEO STR. 21



## A D L E C T O R E M.

*De Occasione, & motivis hujus editionis.*

**O**ccasionem huic editioni præbuit A. R. D. P. Edmundus Marthenne Benedictinus è Congregatione S. Mauri, vir orbi litterario notissimus, qui primus 1717. hoc Chronicon M. S. detexit, &, ut lucem aspiceret publicam, dignissimum censuit, prout patet ex ejus testimonio infra in Appendice posito.

Motiva editionis sunt 1. Quia hoc Chronicon illustrat Historiam Ecclesiasticam præsertim Sæculi XV. 2. Quia exinde lux quædam affunditur Historiæ etiam profanæ, præsertim Westphaliæ. 3. Quia in eo proditur stupendus progressus Congregationis Windesheimensis Ordinis Canonicorum Regularium per inferiorem Germaniam, quod argumentum non indignum visum est Leubnizio, quin illud quoque latissimâ portâ admitteret in suam Collectionem scriptorum Brunswicensium. 4. Quia servit ad Biographiam virorū sanctitate ac pietate illustrium, præsertim B. MEINULPHI, quorum prodigijs & exemplis nihil est ad confirmandam veram fidem, atque accendendam pietatem utilius.

Erunt quidem, qui istud Chronicon æternis mallent damnatum tenebris ob scriptorum Synchronorum ac styli barbariem; sed hos ut ineruditos meritò sine responso deferam, dum integris anecdotorum, quæ è sæculis barbaris cum applausu totius orbis & Ecclesiæ prodierunt, plaustris præsertim Henrici Canisij, Dacherij, Baluzij, Leubnizij, Bernardi & Hieronymi Pezij, Duellij, Muratorij, &c. &c. opprimi possunt, si non corrigi.

Alij reprehendent, quod exempla pristinæ pietatis nimis abjecta proferam, ut Clericos Regulares desudantes inter labores opificum ac infima agrestium opera indignantibus sistam oculis; dicent; imitanda scribi oportere, non sordida, & ad contemptum Clericalis status tendentia. His ego paucis respondeo; genus illud vitæ sordidum non esse, quod Deus tantis probat prodigijs. Nunquam Deo placuerunt Clerici venatores, placuerunt autem saepius Clericorum mechanici etiam abjecti labores; exercitatio corporalis de se quidem Clerico, maximè in statu Ecclesiæ optimè constituto, eligibilis non est; gratissimè tamen arridet cælo, dum eam commendant charitas, aut justa necessitas. Placent sanctis etiam infima ancillularum & mancipiorum servitia, dum sine ijs irruptio in regnum principis tenebrarum fieri, & regnum Dei ampliari non potest. Laborabant Apostoli; laborabant Apostolorum discipuli, laborabant primitivi Clerici, imò opicia & agricultura præscibebantur Clericis etiam à D. Augustino, & à Concilijs; dantur proin circumstantiæ, in quibus liceat Clericum laborantem venerari & admirari. Concilium Carthaginense quartum, cui D. Augustinus interfuit, & subscripsit, Can. 51. sic habet: *Clericus, quantumlibet verbo DEI eruditus, artificio victum querat.* & Can. 52. *Clericus victum & vestimentum sibi artificiolo vel agricultura absque Officij sui detrimento paret.* & Can. 53. *Omnes Clerici, qui ad operandum validiores sunt, & artificiola & litteras discant.* Ita Concilium Carthaginense, cui cum S. Augustino interfuerunt plusquam ducenti Episcopi, & quod tantam autoritatem ac observantiam obtinuit, ut in Codice M. S. Corbeiensi, & Collegij Parisiensis Soc. JESU titulum ferat;

ferat : Statuta Ecclesiæ antiqua; in M. S. Barberiniano. Statuta Orientis antiqua. In Codice verò Tiliano ; Canones Africani. Confirmatur hæc praxis Ecclesiæ veteris ex Clemente Papa, & Epiphanio ; Prior lib. 2. Constitutionum Apostolicarum cap. 67. ait : *Qui in Ecclesia juvenes estis, curate operi vestro vacare, etenim & nos quoque vacantes verbo Evangelij subcisevas operas non negligimus ; alij enim ex nobis pescatores sunt, alij scenarum opifices, alij agricolæ, nec unquam otiosi sumus.* Et Epiphanius hæresi 80. Ex ipsis DEI Sacerdotibus quidam una cum predicatione verbi imitantes S. Paulum etiam ipsi pro viribus tametsi non omnes, attamen plures proprijs manibus operantur, qualemcumque tandem juxta proportionem dignitati & Ecclesiastice curæ assiduitati convenientem repererint artem, quod cum verbo & predicatione conscientia ipsa gaudeat, dum etiam per manus proprias fructum affert, sibiipsi suppeditat, fratribusque ac indigentibus impertit ministerij fructum. Immo ipsum D. Paulum ubique locorum opificio victum quæsisse, videlicet, Corinthi, Thessalonicæ, & Ephesi, patet ex Act. 18. 1. Thess. 2. 2. Thess. 3. Act. 20. 1. Cor. 4. 1. Cor. 9.. Hinc & D. Chrysostomus Homil. 2. in Epist. ad Rom. de S. Paulo scribens ait: *Tabernaculorum texendorum artifex hic non tantum Siciliam modo atque Italiam, verum universum terrarum orbem* Verbum DEI predicans peragravit, cum interim artem non intermitteret, sed vel tum quoque pelles consueret, & Officina sue praefasset. Neque enim ea res Patricios vel Magnates offendebat, idque jure merito, non enim artes & studia, sed conficta dogmata despicabiles reddere solent preceptores. Hæc D. Chrysostomus in defensionem Apostoli, eadem, Lector amice, pro mea recipe.



## INDEX. PARS I.

*De Fundatione Monasterij Böddeken & ejus translatione  
ad Canonicos Regulares.*

**B.** Meinulphus Monasterium fundat pro Canonissis, signa futuræ translationis ad Canonicos Regulares. p. 1. Translatio Corporis B. Meinulphi impeditur. 4. Monasterium datur & occupatur à Canonicis Regularib. 4. Fama B. Meinulphi neglecta resuscitatur. 8. Ecclesia pro Officinis necessarijs aptatur. 9. Prior Ssvollensis introducitur, & per Episcopum primus loci Prior constituitur. 10.

## PARS II.

*De I. Priore Monasterij S. Meinulphi.*

Electio. p. 11. Humilitas, austерitas, patientia & charitas à pag. 12. Amat pacem & quietem. 14. Timet Deum. 18. Timetur & amatur à suis 19. Exercet subditos cōsque probat. 21. Difficilis est in receptione Novitiorum ad Professionem. 23. Graves labores ejus in Reformatiōne cum mirandis, quæ tum contigerunt. 23. Structuras humiles parat. 25. Suorum subditorum devotio. 25. Obedientia. 28. Victoria in tentatione. 31. Charitas & devotio in Cellerario. 32. Laicus mortuus per merita B. Meinulphi revivisicit. 32. Adeoque ad hujus intercessionem meritò consurgere debent debiles & infirmi. 33. Per ejus opeim infirmus puer sanus. 34. Spoliantes Monasterium pānam sentiunt. 34. Regulares adversa multa sustinent, in ablatione temporalium. 35. Molestat illos Sacerdos sacerdotalis. 36. Spoliantur, sed non absque vindicta. 37. Patiuntur ciborum penuriam. 40. Potus, lechisteria & gravissimi eorundem labores. 42. & seq. oblocutores puniti. 45. De nola & Dalmatica B. Meinulphi, & de modulatione divina circa ejus sepulchrum audita. 46. De Tilia Beati. 48. De exercitijs spiritualibus Matris illius 50.

PARS

## P A R S III.

*De sex Prioribus Böddecensibus ab anno 1420. usque ad 1455.*

*De II. Priore.*

Ejus humilitas & charitas. 52. Cura circa canrum & psalmodiam in suis.  
53. in seipso. 54. Dulcisona vox in Choro sub psalmodia Fratrum audit. 55.

*De III. Priore.*

Amabilis ejus conversatio. pag. 57. Absolutionem à regimine petit, & obtinet. ibid. Quid in duorum Clericorum investitione contigerit. 58. Alterius ex his duobus singularis devotio. 59. Quatuor mirabilia, quæ circa eundem contigerunt. 60. Cæca puella per B. Meinulphum viatum recipit. 63.

*De IV. Priore.*

Munit campestribus indaginibus Monasterium. 63. Proprijs manibus cum suis fructuose laborat. 65. Libros chorales procurat, agros auget & ædificia erigit. 66. Agenda prædisponit, alienata bona repetit. 67. Servat Laicos in disciplina. ibid. Detractores corrigit. 68. Fæna Monasterij rapiens amissione equi luit peccatum. 69.

*De V. Priore.*

Quietè suos regit. 69. Laicorum in agricultura obedientia. 70. Transfertur ad proprium suum Monasterium. 71. Monstruoso partu punitur illatum Monasterio à raptore damnum.

*De VI. Priore.*

Religiosa ejus ante Prioratum adeptum conversatio. 77. Fit Prior clarus virtutibus. 79. Quatuor singulares ejus virtutes. 80. Amor in Christum. ibid. Rigor in sibi subjectos. 82. Devotio in Officio Divino. 83. Vult hoc à suis fieri cum devotione & absque confusione. 84. Libros chorales & librariam curat. 85. Sacras Reliquias procurat, & veneratur. 86. Plures ad Religionem suscipit. 86. Haurit semper fructum ex horis Canonicis. 87. Curat cognoscere tentationes Fratrum, & remedia dictat. 87. Summa ejus devotio in celebrando Festo SS. Corporis Christi. 88. Fides ejus circa hoc Mysterium. 90. Reformationem promovet in locis pluribus. ibid. Plenus meritis

meritis moritur. 92. Pannus ab ardenti lumine non lœditur. 94. Frater de sublimi cadens illæsus servatur. 95. Mortuus ad vitam reddit. 96. Invasor Monasterij moriens culpam fatetur. 97. Damnum Monasterio inferens malo fine vitam terminat. 98. Fractum genu sanatur. 98. Paupertati Fratrum DEUS mirabiliter subvenit. 99. Mutuum à Priore datum mirè compensatur. 101. Oblocutor devotarum punitur. 102. Prior ab aposthemate liberatur. 104. Mira vindicta in tres Monasterij spoliatores. 104. & seq.

*De VII. Priore.*

Plures sulcipit & Monasteriorum reformationem per suos promovet. 106. & seq.

**P A R S IV.**

*Miracula per intercessionem B. Meinulphi facta sub VII. Priore.*

Spoliator Monasterij temeritatem luit. 108. Sacerdos infirmus reconvalescit. 109. Pæna talionis in eum qui Monasterio per incendium nocuit. 110. Persecutorem Monasterij cælum persequitur. 111. Mulier Fratribus inimica infirmatur & moritur. 112. Infimo vitæ prolongatio obtinetur. 113. Ædificia ex lignis injustè acquisitis erecta in cineres abeunt. 114. Fratris desiderio fit satis. 115. Ligna Monasterij devastans in ipso facinore fit claudus. 115.

Testimonia Authorum de Statu Monasterij Böddencensis à pag. 117, De Statu veteri Congregationis Windesheimensis, 124.



**CHRO.**



# CHRONICA

## Monasterij B. Meinulphi in Böddeken.

### PROÆMIUM.

*In Chronicam Monasterij præfati ab eo tempore,  
quo ad Regulares Canonicos translatum est.*

**A**ctus, & Gesta Monasterij B. MEINULPHI in Böddeken ab eo tempore, quo idem Monasterium in Regulares Canonicos translatum, litteris tradere cupienti, ut posteri sciant, si quid fortè ex his præcavendum fuerit, vel imitandum, satis exstat operosum, ut appareat, tamen quia obedientiæ titulō hoc onus mihi impositum est, id, quod vires ingenij perficere non sufficiunt, obedientia ministrabit. Ut ergo de præfatis actibus eò verius posteris aliquid conscribatur, alij etiam, qui adhuc in humanis sunt, & hujusmodi interfuerunt, in his scribendis mecum laborabunt; & ut initium præsentis operis mihi assummam, ad antiquiora tempora necesse est me divertam.

A

PARS

## PARS I.

*De Fundatione Monasterij Böddeken , & ejus  
Translatione ad Canonicos Regulares.*

## CAPUT I.

*Quo tempore B. Meinulphus construxit suum Monasterium,  
Canonissas ibidem introducens , & præfigurationes Trans-  
lationis in Canonicos Regulares.*



Nnō Incarnationis Domini 817. tempore quo Ludovicus Caroli Magni Filius Romanum rexit Imperium, ac Baduradus Ecclesiae Paderbornensi præfuit anno Episcopatus sui 14, Canonissarum in Böddeken per S. MEINULPHUM incæptum fuit Monasterium, quō constructō de sui patrimonij bonis idipsum in Christi hæreditatem dotans, Canonissas ibidem pro Divino cultu augmentando introduxit, quæ multis postmodum annis Domino DEO per fervorem spiritus militantes odorem vitae salutaris plurimis procurabant, & quia B. MEINULPHUS in loco, in quo Monasterium nunc constructum est, ante ejus inceptionem Cervos instabiles, postea vero Cervum quiescentem vidit, translationis Canonissarum, quantum ad sexum instabilium, in Canonicos Regulares, prout in præsentiarum cernitur, certum Indicium æstimatur, quam translationem tunc temporis adhuc fiendam, id quod sequitur, plenius approbabit: nam anno memoratam translationem immediate præcedente, cum villani dicti loci una cum suo Curato, nomine Joanne Restick, timore inimicorum in Ecclesia B. MEINULPHI nocturnis temporibus dormire consuērunt, contigit, dum quadam vice sopori se dedissent, ut quidam ex ipsis experrecti dulcissimæ modulationis audirent sonum; ac hi alios de somno excitantes invicem loquebantur dicentes in hæc verba: *Iste dulcissimus sonus, quem audivimus, forte quoddam est præsgium de Canonissarum statu hujus loci in aliud transmutando.* Ut ergo hujusmodi translatio à Domino DEO per B. MEINUL-

PHI

PHI preces effectum suum sortiretur, contigit circa annum MCCCC. dictum Monasterium non hostium incursione, sed tinea ab intus latenter corrodente ad tantam venire paupertatem, ut præfati Monasterij redditus, ac proventus soli Abbatissæ Walburgæ, ibidem in vili rugurio degenti, ad ejus inopiam repellendam minimè sufficere potuerint: nam bona Monasterij magna ex parte aut alienata fuerunt, aut aliis obligata; Itaque Monasterium in solitudinem quodammodo redactum videbatur, Ecclesia ipsius, & turris magna absque tectis, crescentibus arboribus, velut in saltibus, superius repletæ fuerunt, quemadmodum radices earundem Testudinibus infixæ adhuc hodierno die clarius manifestant: Capitulum verò Ecclesiæ Paderbornensis meliora dicti Monasterij Clenodia jamjam sibi apportata penes se habebat, quæ Clenodia tanguntur in sequenti Versu:

*Plenarium, Pannus, Crux, Calix, Vestis, Imago.*

*Plenarium* est iste magnus liber Sanctorum Evangeliorum deauratus. *Pannus*, videlicet pepłum, quod in favillas redactum per orationem B. MEINULPHI ad pristinam integritatem fuerat restitutum. *Crux*, videlicet deargentata, quæ in superiori parte pro reliquiis sacrīs in eam reconditis Chirographo modò clauditur, & aperitur. *Calix*, de quo audivi, quod illum B. MEINULPHUS, quando in Diaconatū officio ad Missam ministravit, sacrīs Altaribus consueverat apponere; *Vestis*, scilicet Dalmatica, in qua ad Missam in officio suo ministravit, & adhuc hodierno die prædicta Vestis Tunica B. MEINULPHI nuncupatur, & meritò inter sacras reliquias recondenda. *Imago*, scilicet B. MARIE Virginis deargentata, & eadem imago est per modum sedentis, & referentis imaginem benedicti Filii sui in sinu suo. Ista prædicta sex Clenodia ob rogatum Reverendi Wilhelmi Ecclesiæ Paderbornensis Electi, & Confirmati restituta erant Monasterio B. MEINULPHI à Capitulo prædictæ suæ Ecclesiæ, ubi & ego præsens eram: postquam verò præmemorata Clenodia Ecclesiæ Paderbornensi apportata fuerunt, Venerabilis Henricus nobilis de Büren ejusdem Ecclesiæ Præpositus Beati MEINULPHI Corpus ad majorem Ecclesiæ honorem de sæpe dicto Monasterio Bödecensi eidem afferre decrevit. Adscriptis itaque sibi quadraginta Equitibus versus præfatum Monasterium iter arripuit; cumque unus de exercitu (non casu, sed DEO disponente)

ante alios versùs Böddeken veniret, improvisè loquens, causam adventantis Præpositi denudavit, quam cùm audirent duæ mulieres speciales B. MEINULPHI amatrices, ægrè ferentes, hujusmodi sacrum Corpus sui Patroni de loco proprio ad extraneos deportandum, brevi super hoc conciliò celebratò, præmemoratum Corpus cum sua Capsa de suo Altari tollentes, ad vile jumentorum stabulum magnæ turri contiguum versùs austrum collocabant, & straminibus operentes absconderunt. His itaque gestis supradictus Præpositus multitudine vallatus Böddeken venit, templum intravit, & dum sacrum corpus (quod tollere venerat) in Altari, quo sibi consuetum stare fuit, non invenit, de ipso celeriter quæstionem fieri fecit, nulloque de inhabitantibus locum ad placitum sibi respondentे, undique de eodem corpore inquirendo sollicitus fuit, cistas etiam Ecclesiæ ob eandem causam iussit aperiri, sed quod quæsivit, DEO disponente, non invenit.

## C A P U T II.

*Quomodo Domicelli Castri Wewelsborg, ne præfatum de loco tolleretur Corpus, se objicere studuerunt.*

**F**Ridericus, & Ravenno Fratres, strenui Domicelli de Brenken, & Castri Wewelsborg, hujusmodi negotium fieri audientes (ut præfertur) commotis visceribus cum subditorum multitudine, velut leones jam privandi catulis, ad Monasterium Böddecense concito gradu pervenerunt: optabant namque discrimini mortis se ibidem exponere, quām Ecclesiam suam Parochialem tam dilectō suō Patrono spoliari. Sed B. MEINULPHO nolente propter suum Corpus sanguinem fundi, præfatis Domicellis ab incolis Villæ Böddecensis intimatur, quod B. MEINULPHI Corpus necquaquam adversæ partes possent invenire: quapropter idem Domicelli viri prudentes, magis pacem inquirentes, quām movere lites, montem Staelberg, quo venerant, reascendunt, & in cacumine ipsius quo usque Præpositus absque reliquiis cum suis à Monasterio per vallem versùs Paderbornam declinaverat, diu substiterunt; quōd factō præmemo-

memorati Domicelli , nolentes , B. MEINULPHI Corpus ad ablationis periculum in sua desolata Ecclesia diutiū permanere , descensum montis petunt , & Ecclesiam Böddecensem ingredientes , præfatum sacrum Corpus cum omni reverentia , prout decuit , tollunt , & eum , qui pridem Religiosus fuit , secum ducentes ad Castrum contulerunt . O ex quām magno desiderio hujusmodi sacræ Reliquiæ ad ante dictum Castrum deportatæ fuerunt ! videlicet , ut in illo conservatæ non deportarentur ab adversariis , qui eas afferre laborabant , ut præfertur ! sed quia B. MEINULPHUM non delectabat easdem suas reliquias ibidem in Castro aliquamdiu permanere , necessarium erat , aliquod fieri signum , per quod Castrenses compulsi prædictas reliquias ad proprium reducerent Monasterium . Contigit ergo , quod eodem tempore , & loco duodecim porci unius ibidem Castellani ( cuius nomen Ravenno erat ) furibundiam incurrentes interirent ; ex quo facto Castrenses videntes manum Domini super se in malum aggravatam , citò prædictam arcam cum suis sacris Reliquiis ad Monasterium B. MEINULPHI remiserunt , quemadmodum viri Azotij fecerunt ; Hī namque , quando propter Arcam ipsis à foris adductam viderunt plagam super se , dixerunt : non maneat Arca Dei Israël apud nos , quoniam dura manus ejus venit super nos . Etiam quòd supradicta mortis plaga propter præsentiam sacrarum Reliquiarum in ante-dicto Castro existentium fuit , ex hoc cognosci potest ; nam quām citò eadem sacræ Reliquiæ ad præmemoratum Monasterium delatæ fuerunt , non solum prænominata mortis plaga cessavit , verùm etiam omnia cum jucunda rerum prosperitate inhabitantibus idem Castrum arri-debant . Ex prædictis itaque certitudinaliter convinci potest , licet Monasterium Böddecense ad ultimam sui paupertatem pervenerit , & quasi in solitudinem redactum , tamen B. MEINULPHUS non est passus suum Corpus à loco ( quem multis laboribus , & sudoribus construxit , insuper & suis dotavit bonis ) removeri , sed secundum præfigurationes antea hic conscriptas eundem locum in melius promoveri , videlicet , ut translatio Canonissarum ( eo tempore jam Saculariæ ) ad Divini Cultūs augmentum in Canonicos fieret Regulares , cujus- que evidens effectus per ea , quæ sequuntur , attentiū audiatur .

## C A P U T III.

*Quomodo predictum Canonissarum Monasterium ad  
Canonicos Regulares sit translatum.*

Rat quidam Clericus Paderbornensis Dicēcesis, homo satis de-  
votus, nomine & cognomentō Bernardus Plus vocatus de  
Familia Reverendi Wilhelmi de Monte, Electi Ecclesiæ Pa-  
derbornensis, & Confirmati: Hic inquam Clericus non casu,  
sed DEI ordinatione quodam tempore ad Monasterium B. MARIÆ  
semper Virginis Canonicorum Regularium in Territorio Nobilium de  
Benthen situatum gressum suum fecit; Fratrum ibidem mores atten-  
dit, psallentes audit, &, quidquid obtutui suo in eodem Monaste-  
rio præsentatur, peroptimè sibi placet, maximè tamen humanitatis  
beneficium, quod ibidem ei largô modô, & humiliter impensum  
fuit: pedes ipsi lavantur, calcei reficiuntur, liniuntur, &, quod  
majus est, socci novi calceis imponuntur. O veneranda hospitali-  
tas à Patriarchis, & Prophetis, imò ab ipso Domino JESU Christo,  
& ejus Apostolis commendata! quot monasteria, quótque bona ex  
præfato facto peperisti, sequentia declarabunt. Nam prædictus Deo  
dilectus Bernardus devoto Priori, ejusque Fratribus supradicti Mo-  
nasterij gratiarum actiones de sibi multipliciter impensis reddens, viâ  
quâ venerat, ad præmemoratum Ecclesiæ Paderbornensis Electum  
est reversus, & quidquid in supradicto Monasterio fervoris spiritua-  
lis, & devotionis, insuper & humanitatis vidi, eidem cum hilari-  
tate mentis manifestat. Prædictus verò electus ( velut à lampade  
lampas illuminatur, & accenditur) ita cor ipsius in fervorem ad Di-  
vinum Cultum augmentandum à fervido corde sui legati mirificè est  
accensum: Bernardus verò hujusmodi fervorem prædicti Electi au-  
diens, humili prece eum rogat, & exhortatur, ut consimiles refor-  
matos Regulares, apud quos pridem hospitaverat, in sua Dicēcesi  
ad inhabitandum instituere velit; apud homines mira res, quæ se-  
quitur, non autem apud Deum: nam antedictus electus in precem  
humilis sui servi consensum suum dedit, & dum inter ipsos de loco,  
quo idem ordo prædictorum Regularium convenientius instituendus  
esset,

effet, pertractatur, Monasterium B. MEINULPHI in Böddeken locis  
 præfertur universis, & ne tale bonum per temporis intervalla con-  
 tingeret interrupi, sed magis ad Divini honoris augmentum per-  
 duceretur, idcirco supradictus Ecclesiæ Paderbornensis Electus zelô  
 Divini Cultûs accensus gratiosis suis litteris Religiosum ac devotum  
 Dominum Joannem dictum de Wale Priorem Monasterij B. Lauren-  
 tij Canonicorum Regularium infra muros oppidi Swollis situati Tra-  
 jectensis Dicecōsis ad se vocat, qui dum ad præsentiam præmemorata  
 Ecclesiæ Paderbornensis pervenit, de translatione Monasterij Bea-  
 ti MEINULPHI in Canonicos Regulares colloquium pertractatur: quod  
 factō jussū & ordinatione sacerdicii Electi antedictus Prior ad Præfa-  
 tum Monasterium cum multitudine, ut singula ibidem videat, est  
 adductus, & dum idem Prior ad Electum, est reversus, gravem,  
 ac multūm difficilem ad hujusmodi Monasterium acceptandum se  
 ostentat, tum quia idem Monasterium, quasi desolatum, & anni-  
 hilationi proximum videbatur, tum etiam, quia bona ipsius, redi-  
 ditus, & proventus magna ex parte alienata erant, ut audivit, ta-  
 men ut visio B. MEINULPHI de Cervo quiescente, quem, postquam  
 instabiles Cervæ de loco, in quo Monasterium construētum, dece-  
 serant, vidi, utique prævaleret, & effectum suum salutarem sor-  
 tiretur, supradictus DEO devotus Prior divinitū inspiratus animum  
 suum ad Divinum inclinans onus, eodem tempore, annō videlicet  
 Incarnationis Domini MCCCCIX. à Reverendo ac Nobili Wilhelmo  
 Ecclesiæ Paderbornensis electo, & confirmato, suoque Capitulo  
 Monasterini B. MEINULPHI in Böddeken Sæcularium Canonissarum,  
 in Canonicos Regulares transferendum gratiose, gaudenterque ac-  
 ceptavit: sicque factum est juxta B. Viri visionem Cervis Canonis-  
 sis, videlicet instabilibus à loco Monasterij Böddekenensis recedenti-  
 bus, Cervus Canonicorum, videlicet quiescens & stabilis status,  
 prout inpræsentiarum cernitur, prædicti Monasterij locum de  
 Gratia DEI occupavit, & servabit.

CAPUT

## C A P U T I V.

*Quomodo, & quando Regulares Canonici primò Monasterium præfatum sunt ingressi.*

29.8. **P**ostquam præmemoratum Monasterium acceptatum fuit, ut præfertur, supradictus, ac DEO dilectus Prior Joannes Wale de Fratribus sui Monasterij Swollis Bethlemæ nuncupati Fratrem, videlicet Joannem Sebaldi, Fratrem Danielem, Fratrem Joannem Kilverman, Fratrem dictum Gobt, Fratrem Mercellium Sacerdotes, ac tres Laicos officiorum ad desolatum prædictum Monasterium in Böddeken ad inhabitandum, ac reformandum misit, qui ipso die decollationis B. Joannis Baptiste idem Monasterium primùm intraverunt: cùm autem jam primò dictum Monasterium sunt ingressi, videntes illud in suis ædificiis penitus collapsum, ac destrutum, Ecclesiam verò factam stabulum jumentorum, humano more terror eos implicavit, sed dum B. MEINULPHI Corpus in suo Altari collocatum invenerunt, cætera loci damna parùm curarunt, & quia hujusmodi Monasterium eodem tempore Apostolico suppositum fuerat Interdicto, ac prædicti Regulares Divinum Cultum apertis januis pro majori devotione habenda exercere cupientes Ecclesiam Kerckbergensem positam in vicino ab immunditiis suis purgaverunt, & sequenti Dominica post B. Joannis diem Reverendus Wilhelmus Paderbornensis Ecclesiæ electus per suum suffraganeum eam fecerat dedicari, in qua prænominati Regulares à tempore, quo dictum Monasterium reformare cæperunt, ferè unius anni spatiō Divinum Officium ob præfatum Interdictum apertis januis magno cum fervore peregerunt.

## C A P U T V.

*Quomodo B. Meinulphi nobilis fama longis neglecta temporibus iterum fuerit propalata.*

**Q**uia igitur B. MEINULPHI laudabilis fama multis annis silentio obruta fuit, dignum duxi, quæ vidimus iterum magnificè propalare, & scriptis commendare. Regulares namque, postquam ingressi sunt Monasterium Böddekense, audientes B. MEINULPHI

NULPHI Reliquias jam per longa tempora in arca sua latentes, die Natus sui proximè tunc sequenti, omnibus adventantibus eas ostendere decreverunt, & ob hoc circumcirca in vicinis locis hoc ipsum fecerunt fieri manifestum. Itaque præfato die, populorum multitudine ex devotione ad dictum Monasterium concurrente, sacrum B. MEINULPHI Corpus cum sua capsâ humeris quorundam Venerabilium Canonicorum Ecclesiæ Paderbornensis impositum ab Ecclesia Böddecensi usque in Kerckberg magna cum devotione, & mutuâ melodiâ, multitudine populi vicinorum locorum sequente, deportatur, ubi ob majorem solemnitatem peragendam non solum una Missa solenniter cantabatur, verùm etiam ex devotionis fervore plures Missæ in portatilibus legebantur, nec ad hujusmodi Venerandum diem hoc sufficere putabatur, nisi & validum Campanarum strepitum inibi præ gaudio frequentarent. Divino itaque officiô ritè celebratô, ac præfatâ Capsâ cum sacris Reliquiis extra Ecclesiam deportatâ, super eminentiorem locum ad hoc præparatum honorifice collocatur, eaque apertâ Venerabilis Suffraganeus Reverendi Electi Paderbornensis Ecclesiæ unâ cum devoto Domino Joanne Priore Swollensi B. MEINULPHI sacra ossa tantæ supradictæ multitudini (quæ ob hoc undique devote convenerat) cum omni reverentia, prout decuit, ostentabat: quod factò prædictum sacrum Corpus à præfatis Venerabilibus Bajulis multitudine consequente ad propriam Ecclesiam cum gaudio reportatur.

## C A P U T VI.

*Quomodo Regulares propter ædificiorum defectum Ecclesiam  
pro variis Officinis ordinabant, & post hoc plures ad  
cohabitandum veniebant.*

**J**Am quia prædicti Reformatores nullum ad inhabitandum ædificium præter solam Ecclesiam in parte tectam habuerunt: id circò Chorum B. Liborij pro dormitorio ordinabant, ~~Chorum B. Liborij pro dormitorio ordinabant~~, Chorum verò B. Augustini in opposito situm pro refectorio, ac parvissimam coquinam super cemiterium Fratrum erigere festinabant: testudinalem verò lo-

B

cum

cum in summi Altaris latere versus austrum Cellarium sibi deputant, sibi deputant, insuper & locus Capitularis retrò summum Altare fuit, in Ecclesia braxatur, blada triturantur, reconduntur; antiquus ambitus in ejus occidentali parte pro Refectorio Laicorum assignatur. His ita gestis, & ordinatis statim tres Clerici Paderbornensis Dioecesis velut saluti suæ patriæ in reformatione Monasterij congaudentes, Divino instinctu commoniti ( ut speratur ) ad cohabitandum dictis Fratribus advenerunt, quorum etiam nomina ista sunt, quæ sequuntur: Joannes videlicet cognomento Probus, qui & hujus Chronicæ ex injuncta obedientia existit compilator, Conradus Neeke de Warburg, & Hermannus Lesewewot de oppido Ni-hem oriundus: post illos alij de remotioribus locis, scilicet honestus Clericus Hermannus Landgrewe, & Joannes Saxo ambo de Cassel oriundi, pluresque alij advenientes prædictis Fratribus sese ad cohabitandum sociarunt. Ut autem præmemorati Monasterij Reformatores prædictæ Reformationi majorem operam darent, Divino Cultu singulis diebus per Missarum celebrationem satis tempestivè peracto gravibus laboribus ( licet tenuissimus occurrerit cibus ) cum servore insistebant.

## C A P U T VII.

*Quod Electus Ecclesiae Paderbornensis, & Confirmatus in propria sua Persona Priorem Swollensem loco primi Prioris Monasterio Böddekenst intromiserit.*

**P**ost prædicta, videlicet circa Festum Simonis, & Judæ immediate sequens, Reverendus Wilhelmus Ecclesiae Paderbornensis Electus in propria persona cum suis militaribus Religiosum Dominum Joannem nuncupatum de Wale, Monasterio B. MEINULPHI velut primum ejusdem Prælatum me præsente intromiserat, & cum ad prandendum per ventum fuit, antedictus Reverendus Electus, qui pro sua Reverentia lautoribus meruit cibari, in Choro B. Augustini ( qui pro tunç Refectorium Fratrum erat, ut præferatur ) cum suis militaribus sedens, pauperum regularium cibum grantanter

tanter insummebat : circa quam refectionem quid amplius factum fuit , non tacebo ; Ramusculus namque Sylvestris cum fructibus suis , qui accusij nominantur , super ignem ustulatus Episcopo ad mensam sedenti ab honorabili Domino , Domino Hermanno Drogemundt me vidente apportatur , & quia idem Monasterium inhabitantes de hujusmodi spinarum amaris fructibus propter ciborum penuriam edere solebant , manu ipsius injecta spinis , fructum decerpserit , & comedit .



## P A R S I I.

### *De primo Priore Monasterij S. Meinulphi.*

#### C A P U T I.

*Quomodo primus Prior B. Meinulphi Monasterij sit electus,  
& de ipsis Virtutibus.*

**P**orro dehinc anno Incarnationis Domini 1410. Dominus Deus Pastor bonus ac pius volens Monasterio B. MEINULPHI ( quod diu absque utili regimine fuit ) de bono pastore providere , Fratres Monasterij Congregati in locum capitularem , qui pro tunc retro summum Altare fuit , præhabita oratione Fratrem Joannem Sewaldi ex ipsis unanimi consensu in Priorem & Pastorem prædicti Monasterij elegerunt . Bene hic à Deo electus est , ut pauperi loco præcesset , qui bonis moribus ad alios instituendos sufficiens erat , multisque aliis virtutibus adornatus fuit ; namque homo multum humilis , austerus sibi aliis benignus , pacificus , quietus , moribus compositus , Deum timens , & in ipsum confidens , charitativus , & in observandis tam in se , quam in subjectis satls fuit rigorosus : quæ omnia in sequentibus sigillatim declarantur .

## C A P U T II.

## De Humilitate prædicti Prioris.

**F**uit itaque humilis, nam nullum superbiæ vitium vel saltem nota superbiæ in eo aliquando potuit deprehendi; Et ne fo-mentum superbiæ sibimet ministraret, licet uno pede debilis extiterit, tamen non equis, sed humili pedum incessu, quemadmodum sancti Patres, quorum meritis se participem fieri labo-rabat, ire per viam solitus erat. Cum verò pro Monasterij sui cau-sis incessum foris fecerat, quantumcunque etiam aura turbida ap-paruerat, viaque lutosā, habitu suo, non mantello, nec toga voluit operiri, prout quidam Religiosi foris in via positi, pro dolor, facere non verentur, qui occasione auræ pluvialis proprium habi-tum tegunt, & quod deterius est, Excommunicationis Sententiis per hoc non timent innodari. Prædictus etiam Prior in via consti-tutus ( cum Socius itineris teneritudini suæ compatiens ejus cappam ferre vellet ) in hæc verba illi respondebat: *Frater meam crucem pro-priam ego feram;* sicque non permisit, ut aliquis ejus cappam in via ferret. Aliud prædicti Prioris humilitatis indicium hoc, quod se-quitur, declarabit; nam oblonga ejus tunica, cum inferiùs ex ve-tustate & frequentibus laboribus annihilata & consumpta foret, jus-su suo inferiùs abscindebatur, in superiore ejus parte prolongabatur. Quadam etiam vice propter negotium sui Monasterij cum partem Saxonicam pertransiens, in nummis ( quibus cibum emeret ) deficeret, velut pauper panem mendicabat; cum verò in Monasterio suo ob varias necessitates post conventum eum contingeret manducare, consuetus erat rogare coquum, ut propter Deum sibi daret ad eden-dum. In tantum etiam diligebat singula sibi necessaria petere pro-pter DEUM, ut, dum cujusdam famosi Domicelli servus ad Monasterium prædicti Prioris occasione viæ declinans, eundem Priorem pe-teret, quatenus propter Dominum suum cibum sibi ministraret, in hæc verba Prior responderit: *Si propter DEUM de pauperculis cibis no-stris edere volueris, impertiemur tibi, quod habemus.* Quod dum servus facere recusabat, indignatione plenus abiit incibatus, postquam ve-rò aliquantulum de loco recesserat, me vidente, gravi molestia fa-mis

mis compulsus rediit , & cibum propter DEUM petens , id quod ministratum fuit , manducavit . Insuper supradicti Prioris humilitatis ornamentum per hoc , quod sequitur , declaratur : quodam tempore quidam mutus simul & surdus in Monasterio dicti Prioris hospitiō receptus erat , qui dum graviter ibidem cæperat infirmari , præfatus Prior convenientioribus cibis , quibus dictum infirmum reficere posset , receptis eundem in propria persona visitavit . Audiatur & aliud humilitatis indicium : nam quidquid subditis imposuit obser-  
dum , hoc & ipse studuit observare ; quadam enim vice pro majori habendā disciplinari vitā ordinavit , & imposuit omnibus , qui sub ejus obedientia Deo militabant , quodd circa ignem , cùm se calefa-  
cerent , silentium observarent , & quicunque ejus institutionem trans-  
grederetur , ille proxima refectione pro pœnitentia tantū panem  
cum cerevisia manducare deberet ; qua ordinatione facta non multo transacto tempore , in Vigilia scilicet Dominicæ Nativitatis , cùm Prior post Completorium ad ignem cum Converso sederet , nomine Henrico Krulenberg , & magnâ sollicitudine suæ domûs , qua premebatur , predictam suam ordinationem non attendens cum assistente Fratre ad focum loquebatur , illis verò sic ad invicem loquentibus Prior ab intus in conscientia admonitus de excessu , Fratri suo dixit : *Frater scis quid jam actum est à nobis ? ordinavi , ut ad ignem sedens ibidem silentium observaret , & ecce ! illius statuti inventi sumus transgressores* ; Respondens Conversus ait : *Pater , astimo , quod hac ordinatio Vestra minime vos involvat , & quod ubique licitum sit , & aliis vobiscum ad ignem loqui* : ait Prior : *Non ita convenit Frater , ego Fratribus onus imponens , onus cum ipsis non portabo ? transgressi sumus , peccavimus , pœnitentiam agere volumus , ut tenemur . Et ecce ! crastina dies illuxit Dominicæ videlicet Nativitatis , in qua omnes Christiani pro solito spirituali gaudio gaudere solent , ac etiam aliquid cibi lauthoris insummere ; at præmemoratus Prior cum supra dicto Converso à meridianâ refectione se absentans , in privato loco tantū panem & cerevisiam pro pœnitentia comedebat . Utinam tam perlucidum imitationis exemplar in singulis , qui præsunt , haberetur ! plures Prælatos novi , sed vix talem in humili conversatione deprehendi . Aliud adhuc humilitatis indicium : nam cùm propter ingens frigus accessum ignis peteret , passus non est , ut aliquis sibi locum daret , sed velut unus ex ipsis*

B 2

sedem

fedem tollens igni inter alios se admovit, & silentio ibidem obser-vato, cùm calefactus fuit, sicut agnus mansuetus cum morum gra-vitate inde discessit.

## C A P U T III.

\*rigorosa. *De \* Strenua Vita prædicti Prioris circa semetipsum.*

**F**uit præterea prædictus Prior satis strenuus in semetipsum; nam in angulo Ecclesiæ supra nudum pavementum tantum culcitram suppositâ nocturnis temporibus requievit. Et quodam tem-pore, dum quelidam clericum hospitio reciperet, ac ex pau-pertate lecto careret, quo eum per noctem quiescere faceret, mi-sericordiâ motus ipsum ad suum stratum ire fecit, ipse verò dum cubitum ire vellet, nesciens quò se verteret ad quietem, noctem (ut reor) magnâ ex parte insomnem duxit. Prædictus Prior cùm magnum frigus ex vestimentorum defectu sustineret, & hoc Domi-no Guntramno cuidam devoto sacerdoti oppidi Gesèke indicatum fuit, ille æquo animo hoc ferre non valens (maximè cùm idem Prior tener corpore fuit) pellicium, quo frigus depelleret, eidem miserat, quo dum ille parvo tempore utebatur, uni de sibi subjectis illud ad induendum ministravit; hoc peracto idem Prior tam validum frigus peressus est, ut omnia ejus corporis membra tremorem sustinerent, quod dum quidam Conversus nomine Henricus Krulenberg cerne-ret, compassione motus in lacrymas solvebatur.

## C A P U T IV.

*De Patientia & Charitate prædicti Prioris.*

**P**atientia insuper plenus extitit atque charitate. Nam quodam tempore, ipso Paderbornæ pro causis sui Monasterij existente supervenit Subprior suus Daniel nomine nuntians ei, quòd Otto Comes de Woldige omnes Monasterij oves & boves armatâ manu abstulisset, ille caput inclinans humili voce ait in hæc verba: *Manducant Spiritum sanctum in his pecoribus nostris, que nobis abstulerunt; velut bono-*

bonorum rapinam cum gaudio susciperet. Contigit etiam quodam tempore, quod vestiarus Monasterij nomine Remboldus natione Holandus præ paupertate ejusdem Monasterij citò dare non potuit caligas Magistro Agriculturæ Joanni videlicet Saxoni, hoc audiens humilis Prior caligas suas & inferiorem suam tunicam in unum convolvens accessit cum illis prædicti Joannis Comeram, & lectum ejus studio<sup>m</sup> ernens, ea, quæ apportaverat, vestimenta, eidem Joanni pro sua necessitate ibidem reliquit. Aliâ vice, quando idem Prior cum memorato Joanne laboravit, videretque eundem defectum habere in suis calceamentis, mox calceos suos exuens, quia paupertatis amator erat, eos collaboranti ministravit. Tempore etiam, quo gravis fames Paderbornensem Dicecesin oppresserat, prædictus Prior de pauperculis suis seminibus (quibus se suosque fratres quoad victum sustentavit) non solùm pauperibus in multitudine accrescentibus largâ manu ministravit, sed etiam victu, suis defectum sustentibus charitativè subvenit. Ego verò (scilicet Joannes Probus) qui propria semina sub custodiâ servabam timens quod eadem statim finem habitura essent, sèpiùs eadem mensurabam, ut saltem scirem, quando eorum finis appropinquaret, hoc dum Prior recognovit, præcepit ille, ne semina de cætero mensurarem: Et ecce non parva procuratio dignissimi Procuratoris B. MEINULPHI in suum proprium Monasterium! nam prædicta semina, licet satis modica extiterint, tamen sancti MEINULPHI intercessione apud DEUM ita in regale augmentum sunt producta, ut toto famis tempore non solùm Monasterio sufficerent, sed & pauperibus ex his, ut præfertur, largiter fuerit ministratum. Audi nunc, quid gratiæ, quidque compensationis prædictos Regulares ex his pietatis operibus sequebatur; Pius námque Dominus, in cuius nomine iidem Regulares de suâ paupertate pauperibus abundanter ministrabant, ut eisdem effectualliter notum ficeret id, quod in sancto suo loquitur Evangelio: *Date, & dabitur Vobis*, contigit circa idem tempus, quo prædictas fecerant eleemosynas, eos ultra mille & quingentos florenos ad refectionem sui Monasterij à diversis hominibus sibi datos recipere; & ita ad honorem DEI factum fuit, ut, quia fratrem, qui *date* dicitur, opera pietatis permisérunt exercere, idcirco coæternus ejus frater, qui *dabitur* vocatur, cum abundantí benedictione fuerit introductus.

Indicium

Indicium quoque charitatis in prædicto Priore tale fuit, qui cùm in reformatione Monasterii B. Meinulphi ultra vires suas gravabatur, tamen ut majorem fructum pro lucrandis animabus ficeret, ad petitionem cujusdam Institoris nomine Henrici de Weke onus ad novum Monasterium construendum prope oppidum Attendossen Coloniensis Dicecessis, tanquam hoc ipsum a Domino DEO sibi nuntiatum foret, gratanter acceptans, fratres illuc ad prædictum Monasterium incipiendum destinabat. Præfatus itaque Prior utriusque loci gravem curam insuper & labores plurimos sine cessatione gerens, quodam tempore ad præfatos emissos suos Fratres, ut singula circa illos, quæ necessitatis erant, ordinaret, ire properabat; ad quos dum veniret, & multitudinem decurrentium aquarum ad idem Monasterium hæreditariō jure pertinentium ibidem cerneret, jubet, ut Fratres irent ad piscandum, qui dum injuncto operi fortius insisterent, accidit, ut unus e Fratribus nomine Hermannus Cassel minùs cautè transitum in aquis servans laberetur in profundum, & dum à cunctis de vita ejus fuerat desperatum, festinaverunt tamen eum de profundis trahere, ut saltem defunctorum commendatione super eum factâ communi traderent sepulturæ; unus itaque ex illis longo assumpto baculo, cui ferreus uncus infixus erat, ad locum, quo prædictum mortuum jacere aestimaverat, tactum faciens, nałum mortui Fratris vulneravit, & tandem lacineæ inferioris tuniceæ, qua submersus indutus erat, uncum baculi casualiter reperit introducitum, siueque mortuum magno cum mærore ad terram traxit. Prior verò mortuum videns Fratrem, ac se considerans ejus mortis fore causam, eò quòd eundem piscari tunc jubebat, & ob id se se etiam irregularitatem incurrisse multùm dolens, omnipotentem DEUM, ut propter B. MEINULPHI merita super defuncto Fratre sibi consolationem tribuere dignaretur, in clamabat, & ecce! cujus vita ablata fuit, dum per viam versus Monasterium velut quoddam morticinum portaretur, ad portantes loquens in vitam pristinam est reductus. Post hæc, dum refectionis horâ de pulmentario, quod ceperant, manducare vellent, præfatus Prior, licet magnam consolationem receperit de Fratre suo, qui revixit, tamen de hujusmodi piscibus edere recusans ait: se ex his refocillamentum nolle suscipere, quòd in tali mortis periculo fuerant acquisiti, peroptime noscens,

noscens, quid sanctus David aliquando fecerit, qui cum aqua, quam tres in populo fortiores de cisterna Bethlehemitica sub grandi periculo sibi apportaverant, sitim suam extinguere non consensit. Circa præfatum Fratrem Hermannum & aliud satis mirabile contingebat: quodam namque tempore incaute super quoddam præfati Monasterij transiens ædificium, de superioribus supra lignorum struem horribilem lapsum fecit, & Dominus DEUS famulum suum per intercessionem B. MEINULPHI, cuius Monasterij Conreformator extitit, protegens & conservans fuit, ut nullum læsionis signum ex prædicto ejus repantino lapsu in eo repertum sit; nec ipse aliquam sensit læsionem, sed surgens ad pristina & consueta sua opera latus rediit peragenda.

## C A P U T V.

*De Pace & quiete prædicti Prioris, & quod idcirco operæ, quantum potuit, se suosque substraxit.*

**I**nterea prænominatus Prior vir pacis fuerat singularis; semper enim ejus verba modesta erant, & pacem resonantia, & si quempiam de sibi subjectis in aliquam mentis disturbancem ruisse novisset, noctis sopori penitus se non dedisset, nisi turbatus subiectus pacem cordis recepisset. Et sicut idem Prior semper pacificus erat, ita & moribus satis compositus fuit, ac quietus; nam Fratribus suis dicere solitus erat in hæc verba: *Frates propter exercenda agricultura opera non venimus in hunc locum, sed ut destruetum Monasterium reformatos Divinum Cultum augeamus;* ad hoc enim magis erat inclinatus, ut unusquisque panem suum in quiete cellæ operaretur, quam in tumultibus fori ad virtuosæ vitæ periculum se quovis modo exponeret, ob quam causam agriculturæ opus, quod distractionis materiam afferre solet, difficile sibi ad peragendum fuit, & nisi necessitate compulsus, illud à suis exerceri non permisisset; Cum enim agriculturæ operi insisteretur per suos, summe cavebat Prior, ne decimalis terra vomere scinderetur, noluit enim alienos Fratrum sudoribus se quoquo modō quæstuare; propter quod etiam quosdam agros decimales (licet eorum proprietas Monasterio suo maneret) sylvestrē consensit

C

sensit

sensit & permisit. Denique in tantum quieti deditus erat , ut strepituosam actionem , & præcipue vocum clamores multùm abhorret , ita ut infra Monasterij septa carpentariorum , fabrorum , & similiūm , quorum opera cum silentio peragi minimè potuerunt , solummodo sonus audiretur. In tantum etiam idem Prior moribus fuit adornatus , formāque decorus , ut si quis ignotus ad interficiendum eum , vel aliter nocendum , juramenti votum emisisset , puto nihil ei nocuisset , si saltem ante illatum malum vultum ejus considerasset.

## C A P U T VI.

*Quomodo præfatus Prior DEUM timuerit.*

**F**uit etiam præmemoratus Prior homo timens DEUM , in ipsum confidens , quod in sequentibus clarè patet. Nam ex eo , quòd in temporalibus bonis multùm defecit , non habens , unde Divinum opus bono moderamine completere posset , putavit , quòd diebus celebris , maximè tempore messis in subsidium sui reformandi Monasterij aliquantulùm posset extrinsecus laborare , & idcirco multum de fæno celebris diebus ex campis Monasterio suo cum curribus adduci fecit , & in congeriem magnam sub diò propè turrim ponì. Pius autem Dominus , qui diem Festum celebrandum instituit , devo-to suo Vicario , quantum in mandati sui transgressu deliquerit , evi-denti signō declaravit ; unus námque de Clericis suis nomine Remboldus super acervum prædicti fæni in sublimi ad componendum sta-bat , & minùs cautè standō se custodiens horribilem casum ad terram fecit , cùmque ab omnibus , qui huic spectaculo præsentes erant , de vita illius desperatum fuit , oratione à Priore prædicto humiliter ad DEUM fusâ , statim is , qui mortuus putabatur , surgens ad pristina sua opera sanus est regressus ; Acervus verò prædicti fæni , quia die-bus sacris vehendus collectus fuit , ab intùs putrescere cœpit , & ad nihilum est redactus. Duobus hisce narratis , videlicet , quia mor-tuus revixit , & fæna periérunt , Prior se culpabilem cognoscens dies celebres à suis subditis majori diligentia instituit observari. Quod & ita factum est. Et quòd idem Prior in Dominum DEUM confi-dens fuerit , hæc , quæ sequuntur , declarant. Quadam vice , dum ipse

ipse cum Fratribus suis in sylvâ ligna jam succisa in unum componere vellet, contigit, ut lignum satis grande improvisè super conversi cujusdam manum nomine Henrici Krulenberg laberetur, ita ut eadem manus velut in pressurâ gravi teneretur, dumque Conversus clamandô horribilem sonum faceret præ dolore, quem sentiebat, hi, qui præsentes erant læsam manum de prelo eruebant, & ecce! manus ista velut mollis cera in amplitudinem pressa nullum rotunditatis signum in digitis ostendebat; Prior verò præmemoratam manum apprehendens, singulos ejus digitos fritilandô reduxit in rotundum, ac eandem manum scapulari dicti Conversi involvens, sanctum MELNULPHUM pro sanitate ipsius inclamavit in hæc verba dicens: *Sancte Meinulphe, ora pro nobis, quia tali manu, qua jam laesa est, pro Monasterij tui reformatione nequaquam carere possumus;* Et ecce! in virtuosæ orationis signum supradictus Conversus læsam manum alterâ die sanam recepit.

## C A P U T VII.

*Quod prædictus Prior propter humilem sui Conversationem  
à suis subditis timebatur & amabatur, voluitque eos sibi  
simpliciter obedire.*

**H**ic dilectus DEO Prior omnem familiaritatis notam cum suis subditis habere devitans ita rigorosum, apparatuque gravem se se coram Fratribus ac Laicis exhibebat, ut nullus ex ipsis levitatis verbum, aut quidquam regulari disciplinæ, vel bonis moribus contrarium præsente Priore ausus fuerit ostendere. Et per hujusmodi factum tam Fratres quam Laicos ad sanctum timorem celeriterque obediendum incitavit, ita, ut omnis nociva libertas, & cervicosa audacia, quam claustralem vitam velut tinea panni ad sui destructionem corrodens demolitur, locum sub hoc Priore nequam habere potuerint. Nam iste Prior in observandis tam in se, quam suis multum fuit rigorosus, & sicut in observandis erat exemplaris, ita subjectos suos observanda voluit observare. Talem etiam in conversatione suâ universis se exhibuit, ut non solum à suis amaretur, sed & laudabiliter timeretur. Et quis tam dilectum DEO Virum non amasset, qui strenuus disciplinæ amator absque reprehensione

hensione humiliter inter Fratres conversabatur , quique , quantum  
 gravis Monasterij cura permisit , conventui suo tam in choro quam  
 in Refectorio se presentem fecit , & licet tenerimae naturae fuerit ,  
 communibus cibis erat contentus , communem etiam cultum in ve-  
 stibus ferendis habuit . Quid plura ? cunctis ipse imitabilis erat , nam  
 indefessò vitam sanctam gerens , multiplicibus sanctae conversationis  
 documentis eam suis posteris tradidit observandam . In tantum e-  
 tiam à suis timebatur , ut jussis suis absque contradictione simplici-  
 ter obtemperaretur ; voluit enim unumquemque de sibi subjectis id  
 facere , propter quod electi DEI ad monasticam solent concurrere  
 vitam : Videlicet , propter Christum Praelato etiam ad nutum usque  
 simpliciter obedire , & idcirco cum paucis personis multa opera per-  
 ficeret solitus erat , ita enim ad jussum suum singuli ad qualiacunque  
 opera se promptos exhibebant , ut in operando magis volare quam  
 gradatim incedere putarentur , & si unus eorum in operibus , quæ  
 operabantur , per se solum totum facere potuisset , nequaquam sibi  
 in illo pepercisset . Quid dicam de Fratre ( cuius nomen in benedi-  
 ctione erit ) qui quadam vice in dicto Monasterio cum cæteris ad o-  
 perandum deputatus à DEO concupivit , quod dies in horis suis lon-  
 garetur , ut eò diutiùs laboribus posset infudare . Attendant hoc il-  
 li , qui hodiernis temporibus etiam pro æternâ salute suâ comparanda  
 vix ad opera compelli possunt , & insuper in opere pigri potius  
 petunt diem expendi torpore quam labore . Quia etiam prædictus  
 Prior sibi ipsi extiterat multum rigorosus , exemplarisque in suis fa-  
 ctis , contigit , ut discipuli ejus sanæ vitae formam , morumque gra-  
 vitatem in ipso attendentes simpliciter eidem dilectionis studiō obe-  
 dire satagerent ; haec namque bonorum subditorum est consuetudo ,  
 quod simpliciter obedientes nunquam Praelatum suum velut homi-  
 nem , sed ut Angelum de cœlo sibi destinatum intueantur , ejusque  
 injuncta tanquam ore DEI præcepta pervigili curâ sine murmure exe-  
 quantur . Tales etenim sic subjecti non ipsi de vita suâ , sed eorum  
 Praelatus in disticto judicij die rationem reddere tenetur . Væ au-  
 tem illis , qui in habitu Religioso propriam salutem negligentes , non  
 solum suis Praelatis non satagunt obedire , sed & contra ipsos ( velut  
 Filij Israël in deserto Moysi fecerant ) murmurare non verentur . O  
 magnum & detestabile malum ! quod quia Dominus in propria per-  
 sona

sona in tantum detestatur , ut sic dicat : *Qui vos audit , me audit : & qui vos spernit , me spernit :* murmuratorem sine speciali persecutione inultum abire non permittit . Cujusmodi exempla , quorum longum hic Catalogum annextere possem , adducere ob angustiam temporis supersedeo .

## C A P U T VIII.

### *De rigorosis Exercitiis ad suos subditos.*

Praefatus Prior , quia se noverat pro suis subditis redditurum fore rationem , & nolens suam per eorum excessus gravari conscientiam , nec animarum sanguinem in districtissimo Judicij die à suis requiri manibus , quidquid sibi utile visum fuerat , ut subditi ejus ad salutem suarum facerent animarum , hoc ab eisdem penitus voluit observari , quod si quis de subjectis se hoc nescire , quod sibi faciendum fuerat , allegasset , aut etiam invitè hoc fecisset , statim Prior manum apponens subditum de hoc instruxerat cum affectu . Contigit namque quodam tempore prædictum Priorem dicere ad unum de Laicis in Conversum promovendum nomine Henricum Krulenberg , ut iret & mulgeret vaccas , qui dum aliqualiter gravem se ad hoc ostentaret , repente Prior eundem ad locum duxerat , quo mulgendum erat , & manu vas arripiens in propria persona mulgere vaccam cœpit , cùmque Laicus Priorem suum sub vacca sedentem & mulgentem cerneret , viam , quâ evaderet , non inveniens , id , quod anteà facere recusarat , jam cum Priore vaccam mulgens latus adimplebat , sicque subditos suos ad piæ imitationis incitamentum in humilibus exercitiis exerceret non cessavit . Siqui verò fuerint , qui præfatum Priorem in dicto humilitatis opere reprehendere attentaverint , ipsi sibi testes sunt , quod nondum ad humilitatis viam , quâ Regnum Cœlorum scanditur , pervenerint . Quodam etiam tempore , cùm prædictus Prior diligentí consideratione unum de Novitiis satis mollia præ cæteris Fratribus pulvinaria habere in suo strato aniadverteret , fasciculum de filigineis straminibus arctiori modo , quo potuit , in invicem colligavit , & prænominatis pulvinaribus tacite ablatis ad caput tacti Novitij reponeret .

bat. Unus etiam Clericus Joannes videlicet Paderbornensis ( qui paupercula Monasterij semina in granariis ex injunctâ obedientiâ custodire solebat ) tantas molestias ex eorum pulveribus , dum ea excusserat , incurrit , quod sacerdos se supra semina prosternens ex mærore cordis validas ac sonoras voces dabat , quas molestias dum Priori retulit sperans se per hoc ab officio supradicto haberi supportatum , Prior machinationes ac tentationes diaboli in præfato facto reprehendens nequaquam eum ab hoc absolvit officio , sed magis subditum ad propriæ voluntatis suæ expurgationem probare volens longo postmodum tempore idem officium eum exercere permisit. Prædicto etiam Clerico lectus de plumis & satis bonus à Parentibus transmissus fuit , quod dum Priori fuerat indicatum , lectum tollens , Clericum , prout cæteri secundum loci paupertatem defectum sustinebant , penuriam in lecti carentia fecerat sustinere. Alius etiam Clericus ibidem erat , à cuius Parentibus Monasterio sacerdos pannus mittebatur , & Prior sanctorum statutorum legem perpendens , non Fratri , cui pannus fuerat missus , illum fecerat ministrari , ne per hoc in sui culpam nota proprietatis Ordini sancto paulatim oriretur , quamvis & hoc absque statutorum læsione facere potuisset. Prædicto etiam Fratri quodam tempore pannus pro perficienda sibi cappâ transmissus fuit , Prior verò Fratrem ad plenum probare volens , ordinatione suâ ad sartoriam venire jubet , ibique cappa ad corporis sui mensuram de prædicto panno scinditur , & aptatur , nec moratur cum consuta fuit & parata , jam occultatum Prioris exercitium , quod dictum Fratrem exercere disponebat , cunctis redditur manifestum , præfata námque cappa sic parata Procuratori domus ( qui æqualis statuerae erat cum exercitando Fratre ) traditur deferenda. Ita factum fuit , ut unde vitiosus Frater prius lætabatur , quia novam cappam speraverat se habere , inde postmodum , dum alium cappam talem deferre cerneret , inopiam sui spiritus per hoc deprehendit ; nec sufficerat prædictum Fratrem per eandem semel exerceri & turbari , nam dum cappa inveterata fuit , prædicto Fratri data est ad portandum. Idem Prior , qui Fratres suos licet virtuosos diligenter probare solitus erat , à cella Fratris sui Henrici de Hervordia Sacerdotis propter minimum excessum januam tollens , ad ejusdem Fratris majorem humilitatem aliquamdiu moram fecit , antequam de licentiâ

tiâ idem Frater januam cellæ recepit. Quadam etiam vice dum prædictus Prior Novitium increparet, & idem in genua mox se prosterneret, Priore abeunte in genibus permittitur sedere, Novitus verò nondum de simplici obedientiâ institutus per omnia, surrexit, & circa prostrationis suæ locum ambulavit, post aliquantulum verò tempus Prior reversus eundem graviter increpavit, & interrogans loquitur in hæc verba: quis à terra ut surgeres, licentiam tibi dedit? addiditque: quis tu sis, jam benè cerno. Ecce quām strenuus Novitiorum Institutör, ut in virtuosa vita proficerent, erat supradictus Prior. Alio tempore duobus Laicis, quos ut benè probare posset, culpam gravissimam imponens, non solum graviter eos increpavit, verū etiam eorum interiori tunica usque ad umbilicum erupta disciplinâ non parùm eorum dora castigavit. His prædictis exercitiis, ut subditos suos ad beneplacitum sufficienter probaret, excessum quamquam minimum impunitum abire non permisit.

## C A P U T I X.

### *De diffīcili receptione Novitiorum ad profitendum.*

**N**Ovitios, quos ad disciplinarem vitam præfatus Prior minus dirigibiles in probationis anno reperit, nisi mores in melius permutâssent, à Congregatione sua separâssent. Attendit námque, quod commixtione unius morbidæ ovis totus grex reddatur maculosus. Quapropter quemdam Clericum admodum nobilem, jāmque vestitum simpliciter non obedientem ab ordine velut infectum dispulit & removit. Alius Clericus investitus, ut ad professionem recipere tur, vix precibus potuit obtainere. Quidam etiam Conversus ex quo quoddam humile exercitium sibi impositum in perficiendo gravem se fecerat, sacris vestibûs exiuit à Priore, rursus tamen ad ordinem revocatur, sic & Laicos suos satis diligenter probare solebat. Prænominatus etiam Prior propter majorem pacem inter subditos suos conservandam ad coabitandum tales recipere noluit, qui cum aliis communiter laborare non valebant. Prædives námque Civis Paderbornensis nomine Stephanus Filium suum adolescentem cum notabili pecunia summâ Monasterio Budecensi

censi liberaliter tradidisset , sed quia cum aliis laborare minus aptus fuit, nequaquam propter pecuniam ( licet Fratres ejusdem Monasterij pauperes exstiterint ) est admissus.

## C A P U T X.

*De gravibus dicti Prioris laboribus , & de quibusdam miraculis , quae circa Reformationis labores contingebant.*

**J**Am qualia exteriora opera prædictus Prior exercere consueverat, paucis declarabo : hic namque propter Monasterij excessivam paupertatem gravibus malleorum percussionibus circa incudem usque ad corporis defatigationem saepius fabrum juvare non cessavit. Insuper magna quercina ligna ad secundum consuetus erat cum securi deponere , denique saepius carpentabatur, glebam ad conficiendos parietes pedibus calcando præparabat , & quod majus est, eam glebantibus Fratribus humeris suis apportabat. Quodam tempore dum Prior pro structura lapides cum curribus adducere fecit, contigit aurigam , juvenem videlicet quatuordecim annorum, dum equi cum impetu onustum currum in profunda via traherent, de superiori loco ante currum ruere, sicque rota onusti currus utrumque ipsius crus pertransivit , & per hujusmodi rotationem velut inutilis factus currui imponitur, ad Monasterium ducitur , ante Altare Beati MEINULPHI fertur, ubi Prior genibus prostratus infirmum supra utraque brachia jacentem habuit , sanctum MEINULPHUM pro sanitate ipsius suppliciter inclamavit , quo facto infirmus statim loquitur in haec verba : *Nihil mihi deest ac nocet , & ita , qui debilis pedibus ante Altare B. MEINULPHI portabatur, omnibus, qui præsentes erant, DEUM collaudantibus ad pristina sua opera est reversus.* Alio quoque tempore ex quo turris magna planè fuerat absque tecto , & præfatus Prior cum suis structuram ligneam pro habendo tecto vellet erigere, quale miraculum circa hoc contigerit, non tacebo. Malus namque dictæ fabricæ in medio collocandus , cui tota lignorum machina innititur , quando de terra per gyrographum sursum in aërem ducta fuit, ita ut jam attrahi deberet supra murum, Magister operis accessit volens disponere, ut prædictus malus super eundem turris murum

murum commodius duceretur , casu accidit , quod idem malus ex quadam negligentia magna cum velocitate descensum ad terram faceret , præfatumque magistrum operis se minus custodientem arripiens , eum ad unius stadij spatum ab ædificio ( prout à pluribus visum fuerat ) ejecit , sed Domino DEO ipsum piè protegente statim quasi in momento absque ulla læsione cunctis eum intuentibus sedere videtur supra murum prædictæ turris . Nulli itaque dubium , quin B. MEINULPHUS volens sui reformandi Monasterij continuare processum , præfatum Magistrum à periculo mortis suâ intercessione præservârit .

## C A P U T XI.

*Quomodo prædictus Prior more Sanctorum Patrum humiles structuras fieri ordinavit.*

**S**atis etiam præfatum Priorem apud DEUM & homines recommendatum facit , quod quemadmodum sancti Patres in vilibus casulis habitantes reprobationes sibi factas à longè respiciebant , atque salutabant , ita memoratus Prior ad humilia ædificia erigenda semper inclinatus sursum mente in cœlis fuerat conversatus , & sicut idem Prior in reformatis Monasteriis de lignis factis , quæ circa partes inferiores visitare consueverat , majorem spiritus fervorem reperit , ita pari modo ad instar eorumdem omnem sœcularem apparatum & curiositatem devitans ædificia sui Monasterij ex virginis contexere , lutoque plasmare , & secundum DEUM decenter & devote inhabitare decrevit , novit enim prudens Prior , quod magnifica ædificia animi rigorem ad vitæ mollitiem paulatim soleant inclinare .

## C A P U T XII.

*De virtuosa vita Subditorum prænominati Prioris , Epri-  
mò de Fratre Subpriore , qui in servitio Christi semper  
absque tadio devotus erat.*

**N**unc de Discipulis & Subditis memorati Prioris aliqua relatione digna brevi stylo restant referenda . Fuit prædicti Prioris Subditus nomine Daniel singulari probitate perspicuus , qui

D

in

in servitio Christi præ mentis jubilo se semper hilarem exhibebat, raro aut nunquam tedium passus in choro, & quamquam corpore debilis existiterit, tamen cum chorum ingredientibus prout frequenter primus fuit inventus, corpore vivior, mente purus, dulcissimam suam conversationem cunctis amabilis erat, hic in sumendis cibis satis sobrius habebatur. Quodam etiam tempore in Refectorio ad mensam sedens in tantum Divinæ attenderat lectioni, ut lixivium per errorem refectorarij sibi appositum velut bonum potum cum affectu insumeret, postmodum, cum hoc cæteris innotuit factum, & interrogatus quid bibisset? Respondit: *Nescio Frater, scio quia potum habui, quem potavi.* In sacratissima Paschali nocte lectionem legens ita præ gaudio mentis raptus fuit, ut, dum eandem per *tu autem* concluderet, membris omnibus sui corporis penitus relaxatis ad terram lapsus cunctis velut mente alienatus (prout in extasin raptis moris est) apparabat. Ex eo etiam quod prædictus devotus Frater postmodum in tertium Monasterij Priorem electus fuit, idcirco ea, quæ Prioratus sui tempore sub ipso gesta sunt, in sequentibus, ubi de Prælatura ejus agetur, scriptis annotantur.

Alius de prædicti Prioris Fratribus nomine Conradus Nekke spiritu specialiter fervens in opus coaguli longo tempore se exposuit, fidelicque studio idem opus studuit adimplere. Hic dum ad Sacerdotium promotus erat, in signum, quia ad tam significantem Officium Divina ordinatione accessum fecerat, sicut antea devotus fuit, jam Presbyter ordinatus deinceps magis ac magis in devotione profecit; & maximè circa venerabile Altaris Sacramentum singulari devotione trahebatur. Hic etiam DEO dilectus Frater non in hoc contentus esse voluit, quod Religiosis vestibus indutus erat, quod statutis temporibus cum aliis horas cantabat, in quibus pro dolor! plures jam nunc sunt contenti, quorum robur alieni spiritus videlicet maligni ipsis minus attendentibus consumere non cessant. Sed dictus Frater ad hoc multum contendebat, ut intus in corde Religiosus ac devotus existeret, in tantum enim circa emendationem vitæ suæ fervore ab intus æstuabat, ut hoc extrinsecus in corporis apparatu abscondere non valeret. Tandem cum Domino DEO placitum fuit, ut devotum sibi famulum de miseriis hujus vitæ ad se evocaret, quodam tempore cum matutinas cum cæteris Fratribus psalleret, apostemate

sternate percussus tribus diebus gravi infirmitate laborans finem vitæ devotè terminavit.

Fuit & alias prædicti Prioris subiectus nomine Henricus de Hervordia, qui in fervore devotionis & cordis humilitate præcipius ædificatoria semper verba dicere consuetus erat, maximè de ortu & extirpatione vitiorum ac remediis eorumdem, qui & gaudebat vehementer, quando de talibus materiis cum Fratribus contigerat eum loqui. Prior etiam Monasterij, cùm interdum causâ exercitij graves molestias eidem, ut eò amplius in via virtutum proficeret, inferebat, prædictus Frater absque murmure patientiam exhibebat, quām verò diligenter se circa vitiorum extirpationem, & internorum recollectionem, quāmque devotè circa passionem Domini & beneficia ipsius exercere solebat, non brevi verbo, ut opinor, possem explicare. Et quid phura referam? sanè exemplarem vitam bonis moribús plenam velut testamentum posteris reliquit. Itaque quia in juvenili ætate ad virtuosam & devotam vitam sese incurvavit, jam seniō confessus apud Regulares Monasterij B. Dionysij in Möllenbeck virtutibüs plenus DEO disponente finem vitæ fecit.

Erat & alias Frater Joannes Kilverman unus ex his, qui cum primis Reformatoribus Monasterij B. MEINULPHI in Bödeken transmissus fuit Presbyter senex & devotus, quia specialem gratiam habuit verbum DEI prædicando seminarē, iste dum in magna paupertate Monasterium cerneret constitutum, assumptō Sociō sibi deputatō petitionem in prædictæ Reformationis subsidium circumquaque fecit, de qua non parvam pecuniam attulit ad structuram. Contigit etiam, dum in Territorio Comitis de Schwonenberg in quadam villa Glinnen nominata propè Weseram petitionem suam faceret, & ibidem mulierem, ut pro Reformatione Monasterij B. MEINULPHI adjutricem manum porrigeret, precaretur, eadem mulier audiens B. MEINULPHUM nominari cum lætitia mentis prorupit in hæc verba: Dilecte Domine ob honorem B. MEINULPHI libenter munus vobis dabo, nam tribus annis privata visu fui, & consultum mihi erat, ut pro receptione visus Altare B. MEINULPHI (quod apud nos in Ecclesia memoratae villæ ad honorem ejus constructum est) visitarem, sponsandi visitare, qua sponsione facta statim hos oculos claros, quos habere me cernitis, per intercessionem B. MEINULPHI recipere promerui.

Prædictus devotus Sacerdos in Missarum celebratione quotidianus habebatur, & cùm præ senectute ac corporis debilitate Missas celebrare non potuit, nequaquam tamen concelebrare neglexit, nam omnibus missis, quæ in Monasterio celebrabantur præsentem se exhibens devotis orationibus animum occupabat. Tandem decrepitam ætatem attingens Domino DEO fidelem servum suum ad se vocare disponente gravi infirmitate correptus de vitæ hujus miseriis in Electorum consortium, ut speratur, transmigravit.

### C A P U T XIII.

#### *De Simplici obedientia cuiusdam Clerici ac piis ejus actibus.*

**F**uit & unus de Discipulis primorum Reformatorum Monasterij B. MEINULPHI nomine Frater Joannes Probus, qui dum in Clericatum primùm ad præfatum Monasterium venerat, cerneretque ibidem pomæria præ nimia vetustate corrupta & deficere, magno cum labore operam ad hoc dedit, & ut pomæria nova suis in locis fierent, prout in præsentiarum cernitur esse factum, quibus perfectis & hoc laboravit, ut prædictis pomæriis nucum hortus jungeretur, & licet prædictus Frater, prout frequenter exterioribus laboribus sub obedientia militans deputatus fuerit, tamen mediis temporibus, quibus hoc poterat, libros ad emendationem vitæ perutilles scribere non neglexit, videlicet Climachum, Excerptūmque super Psalmos in tribus partibus ex Beati Augustini quingenis: tandem autem præ senectute dum jam oculi ejus minus clarè videre cæperunt, Lectionarium integrum cum suo Diurnali de licentia Prælati sui conscribebat, de quibus cùm quis legerit, rogat hic qui scripsit, ut eum orationis suæ participem faciat propter D E U M. Quodam etiam tempore cùm præfatus Frater, de quo agitur, in cella scribendo sederet, Prior suus superveniens & ad januam ejus pulsans strepitum fecit, Frater vero de intus scribens ac penitus ignorans quis ad ejus pulsasset cellam, de sede cum velocitate surgens pulsantem intromisit, & dum Prior intromissus scripturam cerneret, quam exarabat, ultimæ dictionis finalem litteram reperit non completam. At Prior interrogans, cur hanc ultimam litteram dictionem complendō mini-

mē

mē addidisset? Respondit Frater: Non audebam Pater, nam dum januæ pulsus auribus meis impressus fuit, nolui pulsantem per aliquantulam moram diutiū stando contrastari, post quod salutare respondum Prior ait in hæc verba: hæc fuit sanctorum Patrum laudabilis consuetudo. Prædictus etiam Frater ante corporales suas refectiones circa Refectorium sedens postquam ibidem orationis Eleemosynam animabus, quæ in locis purgatorij detinentur, secundum laudabilem consuetudinem prædicti Monasterij ministrâsset, Refectorium ingressus & *Benedicite* lecto orationem brevem pro se & Conventu fecit, ut ex lectione legenda uterque honorem DEI ac emanationem suæ vitæ promovere mereretur. Consuetudinis insuper prædicti Fratris fuit, ut quicunque in Refectorio orationis suffragium petendo postulâsset, ne idem petens suō desideriō fraudaretur, pro eo Angelicam Salutationem ad B. V. MARIAM effundebat. Similiter etiam pro his fecit, qui humiliati in Refectorio aut de terra ibidem manducabant, vel pedes Fratrum ibidem osculari videbantur. Etiam idem Frater, de quo jam fit sermo, talem habebat consuetudinem, ut cùm dicendarum culparum aliquis eum proclaimaverat, versa vice in gratiarum actionem pro eo Virgini MARIÆ Salutationem Angelicam propinaverit. Cùm verò quis prædicto tempore propter excessum susceperebat disciplinam, jam dictus Frater, ut disciplinandus de proclamata culpa sese penitus emendaret, simili modo B. V. MARIAM cum Angelica sua Salutatione celeriter salutavit. Supradictus etiam Frater qui noverat utile fore pro Fidelibus Defunctis exorare, in laudabilem duxit consuetudinem, ut quoties de Cella ad Chorum vel de Choro ad Cellam transitum fecit, nisi eum legere contingeret, ad quod ex ordine teneretur, omnibus indigentibus animabus à corporibus seperatis orationis Eleemosynam propinaret salutarem. Idem Frater laudabili hac utebatur consuetudine, quod omni die ad hoc sibi certo deputato tempore pro Venerabili suo Priore singulariter exoraret; & omni tempore post injunctam poenitentiam pro peccatis suis ratione Confessionis legere solebat unam Angelicam Salutationem pro suo Confessore, illo videlicet, cui ultimò confessus fuit. Prænominatus etiam Frater quasdam scripturas legens scriptum reperit, quām acceptabile foret B. M. Virgini gloriose ferta legere & orare, & fiduciam in eam habens sibi ferta legere

legere non neglexit. Quodam verò tempore, cùm idem Frater debilitatem senserat sui capitum, timens, quod ex labore lectionis prædictorum sertorum magna ex parte debilitas talis sibi accidisset, eadem farta postponebat. Postmodum tamen cùm se recollegarat, capitum sui læsionem factioni spiritualis inimici magis adscribens quam labori, quem circa lectionem sertorum fecerat, eadem farta gloriosæ Virginis MARIAE, cui omnis laus competit, prout antea solitus erat, legere incepit, & dolorem capitum deinceps non sensit. Frater etiam supradictus, qui erat unus de Discipulis primorum Reformatorum Monasterij B. MEINULPHI, dum post plenariam prædicti Monasterij in suis ædificiis reformationem multitudini Fratrum devotè psallentium ibidem Divini Officij tempore interesset, & mente revolvens quomodo non longo transacto tempore circa dictæ reformationis initium ejusdem Monasterij Ecclesia absque tecto fuerat, ac testudo ipsius desuper velut in saltu crescentibus arboribus plena, videreturque in præsentiarum multitudinem devotorum Fratrum in utroque Choro ferventi voce Dominum DEUM collaudantium, hæc videns, hæc audiens à lætitia lachrymis sese interdum minimè contingeret potuit; mirabatur enim valde, quod prædicta Ecclesia, quam aliquando noverat stabulum jumentorum, jam jamque Divinâ gratiâ hoc agente facta fuerat locus Canonicorum Reformatorum, mirabatur inquam quod prædictum Monasterium in tantum depauperatum erat, ut duntaxat unam personam, ultimam videlicet Abbatissam ejus nomine Walburgim cum ancilla sua Kunnegunde enutrire & sustentare non suffecit, prout sibi per optimè notum fuit, jam in præsenti centum & quadraginta personas Domino DEO fideliter servientes, ipso operante in vietu & vestitu sufficiens esset sustentare. Nec hoc solum; nam magna multitudo hospitum ad prædictum concurrens Monasterium multum inibi consumit, ut appareat, in quantum dicti Monasterij pauperculi redditus se extendunt. Et gratias Divinæ Gratiae, quia non alias prædicta omnia administrat, nisi pius Dominus DEUS, qui quodam tempore de sua benignitate quinque millia hominum de quinque panibus & duobus piscibus magnifice satiavit. Jam quid in scriptis amplius de prædicto Fratre relinquere posteris possum? In parte novi Fratrem illum sed utinam pleniū agnoscem. Scio quod Fratres suos secum commorantes in Christo JESU

SU sincerè dilexit. Quapropter vos dilectos Fratres qui Monasterium B. MEINULPHI pro tempore inhabitatis , quod possum , deprecor & exoro , ut cùm idem Frater carnis sarcinam deposuerit , pro eo in orationibus vestris maximè circa sacri Altaris sacrificium Dominum DEUM humiliter exoretis ,

## C A P U T . X I V .

*De Converso , qui tempore gravissimæ temptationis viriliter egit , ne vinceretur .*

**F**uit & alias Conversus unus de primis Reformatoribus supradicti Monasterij nomine Godfridus , qui licet multis virtutibus adornatus exstiterit , singulariter tamen continentiae deditus , ea , quæ animum ejus ad carnis mollietatem impellere videbantur , sapienter declinavit . Contigit námque circa prædictæ reformationis initium , dum adhuc pulcherrimæ mulierculæ vicinia ejusdem Monasterij occuparent suis mansionibus , prædictum Conversum porcos in silvam ad pascendum ducere ; & ecce lasciva quædam Fœmina , ut deciperet ac ad lapsum eundem involveret , ipsum sequebatur pedetentim , quæ dum dicto Converso in silva propinquaret , incitamenta , quibus ad carnis copulam incitaret , fecerat manifesta . Sed pius Dominus , qui sanctum Joseph ab impudica muliere impollutum custodivit , & hunc dilectum ejus Famulum ab immunditiæ laqueis magnificè præservavit ; nam validus strepitus , ac si lupus ad devorandum inter pecus foret , audiebatur , quem strepitem dum Conversus animadverit , violento cursu , ne malum carnis incideret , fugam infiit . Sicque seductrix mulier spe sua , quam conceperat , defraudata laudabilem fugitivum cum propria confusione dereliquit .

CAPUT

## C A P U T X V.

*De Cellerario charitativo & devoto.*

**P**renominatus etiam DEO dilectus Prior Juvenem quemdam sati acceptum omnibus nomine Bertholdum Kreimors in Cellerarium sui Monasterij ordinavit. Hic in officio suo cunctis exhibens charitatem, singulis, prout cuique necessarium erat, viatum de Cellario secundum Monasterij possibilitatem hilari vultu ministravit, ita namque pro servanda pace verba sua formare consueverat, ut potius cibum ministrando perdere decerneret, quam laedere charitatem. Postquam vero pius Dominus fidelem suum servum e vivis vocare decrevit, pestilentiae infirmitate tactus morti appropinquare festinabat, cui cum diceretur, quod Subprior Monasterij nomine Daniel simili infirmitate deficeret, cum affectu loquens exclamavit in haec verba: O utinam & hic Subprior noster mortem evadere posset, qui vir utilis est huic Monasterio, & ego inutilis pro eo jam jamque mori possem. Sed quia in utrisque Domino DEO beneplacitum fuit, hunc & illum e vivis citius vocabat.

## C A P U T X VI.

*De Laico mortuo, qui per intercessionem B. Meinulphi revixit.*

**E**x quo Regulares Monasterij B. MEINULPHI eo tempore, quo primum dictum Monasterium reformabant, multis & gravibus laboribus, prout ipsis necesse fuerat, intendebant, pius Dominus DEUS ita cum eis misericorditer dispensabat, quod rassimè debiles aut infirmos, quibus curam vel vacantiam praे operum multitudine impendere non valebant, inter ipsos habuerint. Cum enim contigerat unum de Laicis suis nomine Dedericum Roes infirmari, & quadam vice ob infirmitatem ejus depellendam balneo sociari, hic qui loco infirmarij eum respicere habuit, propter ejusdem infirmitatem aliquantulum diu ab ipso sese absentavit, & reversus

infir-

infirmum in aquâ reperit declinâsse , quapropter gravi mærore compulsa clamorem validum fecit , accurrit Prior , accurunt Fratres , & dum ad eum , qui infirmus erat , perventum fuit , Prior & Fratres nullum indicium vitæ in eo considerantes mortuum judicabant , & ideo Dominum DEUM Sanctumque MEINULPHUM pro ipso humiliter implorantes , is qui ab omnibus mortuus putabatur , in gaudium magnum vivus est receptus .

## C A P U T X V I I .

*Quòd merito implorare debent B. Meinulphum pro pio Intercessore apud Dominum DEUM , qui in ejus Monasterio debiles sunt & infirmi .*

**L**Icet prædictorum Regularium sancta Regula Medicorum consultum admittat , tamen quia tam multi saniratum effectus per merita B. MEINULPHI non solùm circa suos verùm etiam apud extraneos per Christi gratiam peracti sunt , & in hodiernam diem fiunt , prout in præsenti opusculo sèpiùs factum invenitur , ideo hi , qui se de gremio suo fatentur esse , videlicet Fratres suum inhabitantes Monasterium in omnibus suis infirmitatibus cum magna fiducia singulare refugium ad B. MEINULPHUM merito habere deberent , quatenus ipse verum Medicum JESUM Christum , qui non emplastro nec pulsûs tactu , sed solo verbo universa restaurat , pro ægris , ut salvi fiant , dignetur implorare . Nec dubium quin suum locum inhabitantes ille pius Dominus celerius quàm extraneos ipso pio intercessore pro eis implorante exaudiaret , dummodo fiducia infirmorum in precando non defuerit . Quòd si fortè auxilium non sentiretur , timendum esset , quòd confidentia in precando magna ex parte deficeret , nec hi qui ejusmodi forent , dicere possent cum Propheta : fiducialiter agam , propter hanc enim culpam , ut opinor , intraneus derelinquitur & non sanatur , extraneus vero fiduciâ plenus suscipit medicinam & sanatur . Nonne Raab fiduciam habens salvata cum suâ totâ domo fuit , & peculiaris DEI populus ob minorem fiduciam derelictus ?

E

C A -

## C A P U T X V I I I .

*De infirmo Puerō, qui per preces B. Meinulphi restitutus fuerat pristinæ sanitati.*

**E**RAT quidam Clericus nomen Sifridus in oppido Geseke, cuius Fratris Filium tantus membrorum dolor invaserat, ita quod de eo nulla spes fuerat sanitatis, Pater vero ipsius multas miseras in eo animadvertis magis desiderabat eum defunctum esse quam viventem in aggritudine, & quia idem Pater simplicis ac bonae vitae fuit (prout mihi optimè constat, qui virum novi) à Divina consolatione nequaquam fuerat derelictus, nam cum de sancto MEINULPHO pio Patrono sèpè dicti Monasterii relatum erat, quod potens esset apud Dominum DEUM, accepit memoratum ejus infirmum filium, & dicto adduxit Monasterio, ubi dum eundem debet lem ac sospitate alienum ante altare B. MEINULPHI presentavit, sanum de altari reportavit, sicque factum fuit, ut is, qui pridem infirmum suum Filium tristis adduxerat Monasterio, jam eo per preces B. MEINULPHI sano facto gaudens & lætabundus ad propria cum ipso remeaverit.

## C A P U T X I X .

*Qualiter Spoliatores Monasterii B. Meinulphi molestias vice versa recipiunt.*

**Q**UOD Dominus DEUS Judex justus in spoliatores & invasores Monasterii B. MEINULPHI vindicta invenitur, magna ex parte per hoc convinci potest. Nam ex quo almus Christi Confessor predictum suum Monasterium multis suis laboribus construi fecit, insuper & ipsum de bonis sui regalis patrimonii fundavit & dotavit, ac Christum solum heredem bonorum constituit, prout in gestis ipsius manifestè reperitur, idcirco Dominus DEUS noluit, ut praefata bona sic, ut præfertur, in hereditatem tradita absque punitione manus invaderet aliena, & ob id etiam prænomi-  
nata

nata vindicta in raptores & injuriatores Monasterii supradicti non solum modernis temporibus verum etiam ab antiquitus inibi legalis erat & consueta. Nam quidam Civis Paderbornensis nomine Hermannus Wesperman nuncupatus homo fide dignus, vita laudabilis apud DEUM mihi retulit rem valde mirabilem ad me loquens in hæc verba: O Joannes, Sæculares Canonissæ quondam Monasterii B. MEINULPHI, antequam illud in Canonicos Regulares translatum erat, à quodam homine DEUM non timente vaccis suis spoliabantur, & eidem homini ad pænam & vindictam, quia commemorata pecora à præfato Monasterio furtim ac clandestino modo abstulerat, ut præfertur, cornua in ejus Capite sese protendentia excrescebant, insuper ut inveterata quercus forinsecus in sua cortice inæqualis habetur, ita prædicti spoliatoris corpus foris factum est, & sic coram omnibus vitam suam miserabiliter terminavit. Ecce quomodo modernum non est, quod spoliator & invasor bonorum Monasterii B. MEINULPHI non evasit absque poena, sed ab antiquitus est punitum, quod in supradictum commissum fuit Monasterium.

## C A P U T   X X .

*Quomodo Regulares Monasterii B. Meinulphi multa adversa sustinuerunt. Et primò in temporalium bonorum ablitione, & persecutione propriarum suarum Personarum.*

**C**Um præfatus ac DEO dilectus Prior siue Fratres tam laudabilis vita exstiterint, ut præmemoratum est, & maximè quia unionem cordium & mutuam pacem secundum Regulae constitutionem inviolabiliter observabant, necesse fuit, ut more S. Job in ipsis virtus adversitatibus plurimis probaretur. Quapropter de pietate Domini permisum fuit, ut multis annis continuè sibi subsequentibus tres adversitates absque ullo cessationis intervallo prædictus Prior Fratresque sui sustinerent, ablitionem videlicet temporalium bonorum per raptores, penuriam quotidianorum ciborum, detractionem æmulorum. Ut igitur de primo puncto, de raptori bus breviter sermo fiat, sciant universi, quod ab initio, quo Regulares

lares B. MEINULPHI inhabitare cæperunt, sicut in eos usque ad octavum annum continua temporalium bonorum spoliatio, similiter & gravis persecutio, prout in sequentibus declaratur. Pecora namque eorum & jumenta prædicto tempore sæpius eis ablata fuerunt, & quoties iteratè aliqualem procreationem in hujuscemodi fecerant, toties inimicorum manus, id quod recollectum erat, aufferebant. Idem etiam inimici eorum in hoc contenti non fuerunt, quod bona prædicti Monasterii abstulerint, ac plurima damna sæpius intulerint; verum etiam illis temporibus unum de Fratribus antiquum, videlicet nomine Joannem Kilverman, devotum Sacerdotem captivum in fune per terras protervo more ducentes & trahentes usque ad oppidum Geske perduxerunt. Ego etiam prædictorum inimicorum persecutionem non evasi; nam antequam investitionem sacri habitus suscepseram, & versus oppidum Geske pro Monasterii negotio directus essem, quidam de prædonum ordine supervenientes non solum spoliaverunt, sed & per longum terræ spatium in equis sedentes me coram eis currere coegerunt, ac in tali laborioso meo cursu unus eorum ludibriosè mihi loquens tale vulgare protulit verbum: *jam more canis te currere oportet*, & licet responderim, Benedictum Dominum IESUM Christum majora peccataisse, tamen strictis manibus me tenens à veloci equestri suo cursu non cessavit. Alio tempore quando cum Fratribus prædicti Monasterii pro afferendis lignis silvam fueram ingressus, supervenire raptores, equos de curru solventes abduxerunt, aliquos etiam ex nostris captivaverunt, & quod deterius est, Laicum unum nomine Joannem de Monte graviter vulneraverunt.

## C A P U T   X X I .

*De Sacerdote Seculari, qui Regulares Monasterii B. Meinulphi molestavit.*

**T**Emporibus, quibus Regulares reformationem Monasterii B. MEINULPHI inceperunt, pius Dominus ad eorum majus meritum eos probare volens, ordinatione ejus quidam Sæcularis Sacerdos nomine Gerhardus eos turbare cuperat, & molestare, quod dum ad tempus ageret, Dominus DEUS, qui de peccatori-  
bus

bus justos facere solet, ac discordantes concordare, non solum prædictam turbationis maculam purgatam ac sedatam voluit habere, sed etiam ipsum turbatorem ad ejus servitium de prædictis malis revo-care; quapropter cor prædicti turbatoris in melius tunc permutans eum apud supradictos Regulares Regularem fieri ordinavit. O felix impugnatio, per quam nocivus capitur impugnator! qui & alios capere laboravit; etenim ita contigit, quod non solum de lupo perse-quente agnus fieret, sed & paupertati eorumdem Regularium cum suis propriis clenodiis ac aliis temporalibus bonis subveniret, nam omnia sua secum tulerat ad præfatum Monasterium. Iste itaque Frater longo tempore sanus inter Fratres vivens, tandem cum Domino DEO placitum fuerat, eum in senectute bona abstulit ab hoc mundo.

## C A P U T XXII.

### *De quibusdam spoliatoribus Monasterii B. Meinulphi in speciali, & quid quisque receperit in vindictam.*

**P**ostquam dictum est de quibusdam Persecutoribus Canonicorum Monasterii B. MEINULPHI, nunc de illis dicendum restat in speciali, videlicet quid quisque in eos commiserit, quidve pro commissis receperit in vindictam. Itaque fuit vir quidam, qui prædictorum Canonicorum equos abstulit per rapinam, quibus ablatis postquam eos vendiderat, contigit, ut idem in terra nationis suæ, & per optimè sibi nota, ut puta, per quam sæpius solitus ire debebat, videlicet inter oppidum montis Martis & castrum Padberg, claro die circa viam ibidem errans iret, nec à tali erroris sui loco declinare potuit quovis modo. Et ecce Domino Friderico de Padberg strenuo milite cum suis viam faciente per locum, quo prædictus sic errabat, ab uno de servis suis intimatur, quod ille errans propè viam Monasterium Bodecense equis spoliasset, quo auditio cum caballo ad eundem celeriter se divertens, propria manu injecta eum suis servis tradidit, sique ad præfatum oppidum ducebatur. Ubi miles antedictus eundem in manus eorum resignans ait, ut ita de homine ipsis per se præsentato agerent, quod justitiam sibi, prout meruit, exhibere non cessarent. At illi causâ dijudicata ipsum laqueo

E;

fū-

suspenderunt. Quidam etiam Comes de Woldige Otto nomine DEI vindictâ percusus est, postquam in præfatum B. MEINULPHI Monasterium per suos rapinam exercuerat. Nam statim totalis pars sui Dominatus, quam Comes de Woldige pro se & suis hæredibus hæreditario jure possederat, per varios inimicorum incursus in tantum depiriri ceperat, ac si non post multos annos depauperari deberet, prout in præsentiarum cernitur actitari. Nec immerito, nam præfatus Comes non solum cum suis militaribus præmemorata rapinâ peccatis se involvit, sed quā plures Oppidi sui oppidani dictæ spoliationi interfuerunt. Sicut ergo prædicti militares cum præmemoratis oppidanis dictam rapinam simul perpetrârunt, nec supradicto satisfecerunt Monasterio, damnum absque causa illatum non impunitum permanxit. Plures enim de his, qui prædictam rapinam violenta manu abstulerunt, divinâ animadversione percussi cæteris terrorem, ne consimile malum in Religiosos committerent Viros, incusserunt. Officiatus itaque prædicti Comitis nomine Fridericus Rumst, qui circa dictam rapinam tanquam Dux & Rector exsriterat, post factam spoliationem demeritis suis exigentibus non solum à domo dicti Comitis expellebatur, sed & in magna paupertate vitam uti & in variis miseriis traduxit. Alius ex dictis Raptoribus in loco mortuus est repertus, quem dum, qui præsentes erant, diligenter intuerentur, inveniunt collum ipsius eversum & gyratum, prout de quibusdam dicitur esse factum, qui in manus dabantur inimici. Alius de præfatis, cum iam per infirmitatem circa finem vitae constitutus esset, peccato mortali per venereum actum se involvens miserabiliter de hoc mundo sublatus est. Unus etiam ex illis patibulo affixus erat, cæteri vero complices, quo modo hinc moriendo recesserunt, longum (ut oppinor) esset explanare. Fuit & alias miles nomine Wrede de Holthausen, qui rapinam in prædictos Regulares fecerat, qua peractâ Domino DEO permittente in tantum depauperatus fuit, quod propter inopiam confusus externas peteret Regiones, & adhuc ignoratur, quorum se diverterit, aut quo fine ultimum vitae suæ clauserit diem. Servus vero prædicti Militis nomine Joannes Chütteken manus violentas in beati MEINULPHI extendens bona, non diu post hoc contigit, ut gladio caput ipsius amputaretur. Alius etiam miles clandestino modo præfatum Monasterium non solum spoliavit, sed & servos

suos

suos ad ipsum spoliandum exhortabatur, qui à leprosorum peste postmodum infectus fuit, servi verò ejus, qui prædictum spolium perpetrarunt, impuniti minimè abierunt, nam unus eorum post perpetratum spolium leprā (uti & Dominus ejus) infectus fuit; alius ab æmulis suis in campo interfactus. Et in hoc ad plenum satis mirari non sufficiet, quod aliqui homines audeant supradictos Regulares factio vel verbo molestare, ex quo quam plurimis manifestum est, quod per intercessionem B. MEINULPHI persecutores sui Monasterii damnum vel pænam recipiunt in vindictam, prout communiter ad oculum cernitur. Erant etiam quatuor raptores, qui prædictos Regulares porcis suis spoliaverunt, & peracto spolio unus eorum divino permisso suspendebatur: secundus ad rotam damnabatur, tertius peste percussus vitam suam miserabiliter finivit, quartus verò quia prædictis Regularibus pro paupertatis suæ modulo satisfecit, de rapina vindictam minimè sensit. Audi & aliud de quodam milite, qui quædam bona Monasterii B. MEINULPHI in Menste ad supradictum Monasterium pertinentia absque consensu Abbatissæ supradicti Monasterii nomine Wabele von den Walde in possessionem sibi velut hæreditario jure possidenda acceptavit, quoddamque castellum construxit; hic, quæ mala eum secura erant, minimè prævidebat, & quia ante ruinam cor hominis exaltatur, florenorum multitudinem, quibus abundaverat, nonnullis præsentibus ante se ponens, vanè in eis fuerat gloriatus; cum verò jam securè in gloria sua se vivere putaret, paulatim in tantum depauperari ceperat, ut in esu nil habens, licet non ostiatim, artificiosa tamen calliditate panem mendicaverit. Sicque factum est, ut pecunia, in qua vanè antea fuerat gloriatus, à pecuniis, quas de injustis supradictæ curæ proventibus receperat, omnino consumpta fuerit, & ita finem vitæ suæ faciens in paupertatem gravibus Excommunicationis sententiis innodatus extra cæmenterium suum receperit sepulchrum. Prædicto etiam milite adhuc in vita existente, quia diversis paupertatum angustiis urgebatur, ante dicta bona Filio Fratris sui nomine Ermerdo obligavit, qui dum aliquantulum temporis eadem bona sub se habuit & possedit, similiter pauper & miserabilis factus fuit inter coæquos militares, quemadmodum prædictus miles patruus ejus. Post hoc omnes alii, qui memorata bona possederant, qnæ malo titulo à sèpè dicto Monasterio B.

MEI-

MEINULPHI abstracta erant, periculum dñni minimè evaserunt, nam sicut rubigo ferrum ita & bona Ecclesiastica minus justè acquisita, si aliis bonis associata fuerint, eadem consumere non desistunt. Caveant igitur universi Monasterium B. MEINULPHI spoliare aut inhabitan tes molestare, ne omnipotentis DEI manum post commissum malum, quemadmodum prædicti confusione magna perpessi sunt, sentiant in vindictam. Quomodo quidam bona Monasterii B. MEINULPHI violenter afferentes, sibique minus justè usurpantes nec ant obitum suum restituentres visi sunt post mortem gravissimis pénis tormentari in Monte, qui vulgari nomine dicitur Lurleberg vel latine Lullus (de quo videre est in monumentis Paderbornensibus aliisque Authoribus & Historiis Westphalicis) ad parcendum famæ ac honori certarum Familiarum hic tamen contexere supersedeo cum adhortatione, ut nemo malè acquisita (dum adhuc in vivis dedit) differat restituere, ne post obitum intolerabilibus pénis involvatur, notum námque Sancti Augustini adagium: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

## C A P U T XXIII.

### *De gravi Ciborum penuria inter Fratres.*

**J**AM quia dictum est de ablitione temporalium bonorum per raptores, modò consequenter de ciborum penuria, quâ Regulares Monasterii Budecensis longis temporibus premebantur, restat enarrandum. Nam quia prædicti Regulares de pauperculis Monasterii sui redditibus parùm gaudere potuerunt, ut præfertur, ex eo quod magna pars bonorum dicti Monasterii per ultimam Abbatissam ipsius extraneis personis impignorata fuit; necessarium erat, ut pauperum cibis corpora sustentarent. Quapropter potagia talia qualia, sorbilia, pulmenta, & legumina præmemoratis Fratribus refectionum temporibus apposita cum gratiarum actione sunt insumpta, & utinam in prædictis ad naturæ sustentationem sufficientiam habuissent. Sæpius etiam cum iam pransuri erant, panes foris à vicinis mutuabant, & quod prædicti DEO devoti Fratres graves molestias

EX.

ex ciborum defectu sustinerent, ex hoc quod sequitur, probari potest. Nam ex Monasterio B. Laurentii infra muros oppidi Swollensis situati, de quo prædicti Regulares Reformatores B. MEINULPHI per Reverendum Wilhelmum Episcopum Paderbornensem vocati fuerunt, quidam Regularis, nescio, quo Zelo ductus Fratres suos in eodem Monasterio B. MEINULPHI licentiâ acceptâ visitavit. Quòd dum pervenerat æstuali tempore, & quadam vice ad mensam reectoralem cum conventu federet, contigit, quòd rusticanus cibus, non qualis Swollis in proprio suo Monasterio occurreret, eidem ad edendum anteponetur, videlicet Narsturtium crudum sale conspersum, quod vulgari lingua dicitur Gartkretse, deinde offa de grosso filagineo pane facta, quam prædictus Frater intuens non attigit, ut comederet, nisi valde parùm, & cùm cibos laudatores præstolaretur apportandos, putabat námque quòd circa finem refectionis meliora fercula ad insumendum, quemadmodum ad divitum mensas fieri solet anteferri deberent, & ecce minister reectorii pro laudioribus cibis cerea cum suis frondibus in magna multitudine supra mensam posuit ante Fratres. Præfatus Regularis itaque qui à foris venerat, intuebatur hoc, quod fuerat ad edendum ante positum, mirabaturque, quòd tales viri, quos anteà delicatos noverat, tam vilia & abjecta nutrimenta locò ciborum, qui hominem reficere minùs possent, alacriter insumere non desisterent, & prandiō factō supradictus Frater, qui gaudens, ut se reficeret, ad refectorium accesserat, non solum tristis sed & esuriens à mensa recedebat, & unum de Conversis Monasterii accedens nomine Gottfridum sciscitatus est ab eo me præsente dicens in haec verba: mi Frarer Gottfride & qualis est cibus, quo híc sustentatis corpora vestra? & Conversus respondens ajebat: Domine satis bonum est, quod in tantum habemus ad edendum, tamen sciatis, quòd processu temporis, videlicet cùm nuces avellanæ similiter & accasia matura sint, meliorem mensam nos habere contingit. Frater hoc audiens quòd accasia, quæ porcorum cibus sunt, exspectarent pro melioribus cibis suis, multùm abhorrens cibum istum interrogando loquebatur prædicto Converso in hunc modum: éstne aliquis híc, qui me ad oppidum Geseke perducere possit, ut sic per viam, quâ ad vos veneram, revertar ad meum Monasterium? Sicque factum fuit, ut confratribus suis Monasterii B. MEINULPHI in paupertate relictis ad su-

F.

pra-

pradicatum suum Monasterium remearet. Si hoc in solemnioribus Festivitatibus, quid in Ecclesiastico jejunio factum fuerit, colligendum relinquo.

## C A P U T   X X I V .

### *De Potu supradictorum Regularium, & de eorum lectisterniis.*

**Q**uia dictum est, quibus cibariis supradicti Regulares secundum temporis exigentiam circa reformationem Monasterii B. MEINULPHI sunt refecti, nunc me non piget calamo annotare, qui & qualis tunc eorum potus fuerat, nam quia omnimoda paupertas ipsis aderat, asinum paucis nummis comparantes, cum parvæ carrulæ jungebant, ac multitudinem silvestrium fructuum pomorum & pirorum vecturâ adducebant, quos adductos in frusta conterendo, vasis perantiquis propter DEUM ipsis ministratis imponebant, ac aquam calidam super infuderunt abundanter, de præfato liquore brodio, postquam ad breve temporis spatum steterat, receptum est ad vasâ talia, qualia Fratrum paupertas habuit & admisit, & liquorem talem circa refectionem & labores cum gratiarum actione pro potu suo sumebant. Verùm cùm prædictus liquor in vasis deficere cœpit, aliam aquam calidam, ut in potu non deficerent, infundebant. Quod si præ operis multitudine eandem calefacere non valebant, frigidam infundere non cessabant. Domine DEUS, si præfatum potum servis tuis non indulcorâsses tuâ gratiâ, corporaliter utique defecissent. Nam quodam tempore me præsente quando Fratres circa locum, qui Wulweshausen nominatur, gravi labore insudarent, & unus ex eis de supradicto potu biberet, incommodumque sibi adesse sentiens valida voce, quia patiebatur, exclamavit. Prædictorum etiam Regularium lectisternia qualia erant circa reformationem supradictam, exprimere non cessabo. Ex indispositione námque collapsi Monasterii in suis ædificiis, quod reformare intendebant, iidem Fratres diversa inibi loca pro quiete noctis sibi usurpantes, nunc in choro S. Liborii, nunc supra turrim tempore noctis quieverunt, & quia in lectisterniis magna necessitas eisdem imminebat, quædam devota Matrona Civitatis Paderbornensis hoc audiens, lupulum, cum quo

quo jam braxatum fuerat, hinc inde inibi congregare fecit, & dum exsiccatus erat, Fratres prædicti Monasterii cum uestura sua adduentes culcitras ex eo confecerunt. Quid plura? unus ex illis ex defectu prædicti lupili culcitram non habebat, & idcirco circa initium noctis, quando sopori corpus suum tradere concupierat, facello se intrudens paucis graminibus suppositis in pace cordis quiete obdormivit. Et licet primi Reformatores Monasterii Bodecensis tam pauperes rebus extiterint, quod eorum corpora ad sui subsistentiam vix perseverare potuerint, ut præfertur, tamen quia Religiosam ac exemplarem vitam diligenter observabant, in divitias spirituales ex magna paupertate profecerunt, & quamvis plures eorum fuerint, tamen in paucissimis & pauperculis sumptibus, quos in suum habebant usum, gratiarum actiones Domino DEO referentes contenti fuerunt. Cesset igitur querela quorundam religiosorum, qui quamvis plurimos redditus habuerint, personas tamen numerò paucissimas asserunt in vietu & vestitu se sustentare non posse. Quod si ita est, hoe idem non mirentur, nam ex quo Domino DEO secundum vota labiorum suorum alacriter & devotè non serviunt, spiritualem vitam à Monasterio suo alienam facientes, procul dubio pium Dominum DEUM Procuratorem suum ipsis ad sufficientia providere non compellunt, ut appareat, ex quo etiam quod negligentius, quibus ordinis vigor imminuitur, admittere non verentur, ideo Dominus DEUS spoliatores aliósque adversarios eis admittere non cefabit, & nisi resipuerint devotam vitam resumentes, ad ultimam egestatem ( prout in plurimis Monasteriis heu jam factum cernimus ) ad ipsorum non parvam confusionem faciet eos pervenire. Hæc prædicta paupertatis insignia de vilibus cibis Canonicorum Regularium circa reformationem Monasterii B. MEINULPHI, similiter & de eorum potu & lectisterniis idcirco præsentibus inserui, ut si consimile propter quamcunque causam DEO piè permittente in eodem Monasterio contingenter sustinendum inhabitatores loci, DEUM paupertatis Amatorrem præ oculis habentes pauperum cibos, quibus natura, quæ modicis est contenta, sustentari potest, infumere non recusent, quemadmodum eorum Antecessores fortes Athletæ stricti in præfato Monasterio ciborum & potuum defectum, prout hic antedictum est, patienter sufferebant.

## C A P U T   X X V .

*De gravissimis Laboribus Fratrum.*

**P**rædictus etiam Prior & Fratres ejus non solum ciborum defectu, de quo prædictum est, premebantur, verum etiam ad maiorem corporum suorum pñnam Domino DEO permittente longo tempore gravissimis laboribus inedia tanquam pedissequa se conjungente insudabant, nec unquam querelæ aut murmuris verbum auditum est ab eis, sed patientiam in omnibus exhibentes meritum operis sui apud DEUM repositum habere satagebant. Postquam verò esuriei tempora in præfato Monasterio de dono DEI aliqualiter fuerunt temperata, & interdum pisces recentes ad aliquod inconsuetum Fratribus in refectorio ad mensam confidentibus inopinatè ministrati, unus inter eos nomine Joannes, qui prædicti Monasterii redditus & proventus satis exiguos esse noverat, valde hoc admirans nescivit, unde hæc specialis ciborum gratia evenire posset, nisi quod sollicitus Fratrum Procurator B. MEINULPHUS hanc ciborum gratiam apud pium Dominum DEUM (cui devoti Monasterii sui Fratres fideliter deservirent) procurasset. Nec immeritò: nam quamdiu Monasteriorum Fratres cujuscunque etiam Ordinis in mutua dilectione, ac in observandorum observantia fuerint diligentes, tamdiu Dominus DEUS suos minimè derelinquens, necessaria tam pro præsenti vita conservanda quām etiam æterna obtinenda eis ministrare non cessabit, & in quantum Monasteriorum Fratres minus diligentes fuerint in præfatis, in tantum Dominum DEUM justo suo judicio minus diligenter circa se sentient in ministrando, tamdiu namque

DEUS Provisor est Fratrum in Monasteriis, quamdiu ipsi observandorum diligentes inventi fuerint observatores.



CA-

## C A P U T   XXVI.

*De Oblocutoribus in Regulares B. Meinulphi Monasterii  
Bodecensis & quid singulis ob hoc contingebat.*

Cum jam de ablatione bonorum temporalium, de penuria ciborum, de gravissimo labore dictum est, restat nunc dicendum de oblocutoribus, quos Regulares, dum primò Monasterium B. MEINULPHI reformare cæperunt, sine ulla intermissione adversùm se graviter pertulerunt. Multi námque in vicinis circumquaque dicti Monasterii locis tam de Clericis quam de Civibus, & maximè, qui in populo majores habebantur, prædictorum Regularium famam ex eo, quod religiosa eorum vita à sua velut monstruosa videbatur, denigrare laborabant. Præterea Suffraganeus quidam nomine Tilmannus ori suo minimè parcens in Regulares supradictos Reverendissimi Episcopi Ecclesiae Paderbornensis Vicarius fieri laborabat; sed Episcopus auditio quid oblocationis in eosdem fecerat Regulares, Vicariatū sui officium denegavit; & ob hoc dolore stimulatus ac confusione perfusus exteris petiit regiones, & velut peregrinus in terra aliena noscitur esse defunctus. Etiam quidam Prælatus præsentiam prædictorum Regularium graviter ferens oblocutores verbis eos lædere non formidans inter cætera ajebat: dictos Regulares nidificare quidem posse in Monasterio Büdecensi, sed Juvenes ibidem minimè parturire, hic dum Monasterio Büdecensi absque rationabili causa contrarius extiterat, nec eidem reconciliatus postmodum habebatur, finem vitæ suæ non laudabiliter finivit. Quomodo verò præfati Regulares DEO fortiter adjuvante, imò eo totum perficiente in Monasterio suo Bödecensi nidificaverint, cunctis noscitur manifestum, & nisi iidem Regulares fortiter ibidem laborando nidificâssent, præfatus locus propter malum Patriæ statum jam diu in solitudinem redactus fuisset, ut ex certis causis jam opinor. Cætera in hujus opusculi processu pius lector invenire potest, ubi de Sexto Priore prædicti Monasterii cætera referuntur.

## C A P U T X X V I I .

*De Nola, quæ campana B. Meinulphi nuncupatur.*

**Q**uia in præmemoratis de primo Priore convenientem locum habere non potui narrare de campanâ B. MEINULPHI, de Dalmatica ipsius, & de Tilia, uti & de singularibus exercitiis Matris ejus convenienter annextere non potui, jam antequam de secundo Priore supradicti Monasterii relationem faciam, dignum duxi de præfatis id, quod antiquorum & veridicorum relatione mihi intimatum fuit, Posteris in scriptis commendare. Itaque in sæpe dicto Monasterio Büdecensi est quædam parva Nola, quæ campana B. MEINULPHI nuncupatur, & inter reliquias B. MEINULPHI in hodiernam usque diem reservatur, de qua, tempore quo primum Regulares Monasterium prædictum inhabitare cæperunt, hæc seniorum villanorum, qui prædictum locum inhabitaverunt, relatio fuit, ut quandocunque una de Canonissis prædicti Monasterii viam universæ carnis erat ingressura, dicta campana ante mortem sine omni humano adminiculo sonum valde sonorum per se fecit, quo facto erecta in statione sua permanit, Canonicæ verò Monasterii sonum scientes per prædictam campanulam esse factum indubitanter noverant, quod una earum statim esset moritura, & idcirco per majorem vitæ suæ emendationem ad mortem se singulæ præparabant. Et ita factum & completum fuit, quod de prædicta campanula in sequentia B. MEINULPHI decantatur: *O quam signum singulare, quo nos ad mortem præpare monet sonus Cymbali.* Cum verò quædam de secularibus Canonefis nuptui tradi debuerat, prædicta campanula simili modo sonum fecit, sed sonō factō in lateribus jacens inventa fuit. Hæc etiam campana eodem die, quo ultima Abbatissa Monasterii B. MEINULPHI nomine Walburga coram Reverendo Wilhelmo Ecclesiæ Paderbornensis Electo & confirmato ac ejus Capitulo suo antedictum Monasterium cum omnibus suis bonis resignavit, sonum faciens fecit manifestum, quod & ipsa ad breve temporis spatiū post prædictum campanæ pulsū vivere debuit super terram, quod & ita contingebat.

CA-

## C A P U T   XXVIII.

*De Dalmatica B. Meinulphi.*

**P**Oltquam Regulares B. MEINULPHI Monasterium inhabitare cœperunt, à nonnullis personis ad eorum pervenit aures, quod quicunque Dalmaticam B. MEINULPHI (qua sacris altaribus assisteret in suo Archidiaconatū officio solitus erat) indueret, & non ea dignus esset, subsecutura morte ob hanc indignitatem plecteretur, & ut illius facti apud eosdem Regulares evidens testimonium nosceretur, contigit, ut duo Suffraganei, licet non uno sed succedente sibi tempore ad præfatum Monasterium pro exercendo suo officio vocati prædictam sacram Dalmaticam induerunt, & induiti officium, ad quod venerant, compleverunt. Quo peracto ambo eodem anno viam universæ carnis sunt ingressi, prout aliqui nostrum, qui adhuc superstites in vita sunt, de hoc testimonium veritatis allegare possunt. Testor similiter quosdam devotos fuisse Patres, quos in Canonica nostra novimus cum prædicta sacra Dalmatica vestitos, quibus tamen hujusmodi vestitura non obfuit, immo ipsis magis profuit ad salutem ex eo, quod iidem postmodum longo tempore devotam gerentes vitam vestigium sanctitatis reliquerunt. Hæc de sacra veste B. MEINULPHI in præsentibus annotare decrevi, ne eadem vestis indecenter sed cum devotione tractetur & tangatur, qui verò se eam induere proposuerit, sit talis in conscientia, qualem eum ad hoc esse oportet, ut plagâ mortis quemadmodum supradictos Suffraganeos & nonnullos alios, eum non involvat.

## C A P U T   XXIX.

*De Divina cantus modulatione aliquando audita circa sepulchrum B. Meinulphi.*

**C**irca initium Reformationis Monasterii B. MEINULPHI coloni aliqui in villa ibidem propè posita habitabant, inter quos unus eorum nomine Gerwinus homo DEUM timens, fidéque dignissimus dicebat, se senem Patrem habuisse, ac eundem

quin-

quinquaginta annis pulsatorem campanarum Ecclesiæ Büdecensis extitisse, referebat antedictus Gerwinus prædictum campanarum pulsatorem, Patrem nempe suum dixisse, quod saepius dulcissimas vocum modulationes circa sepulchrum B. MEINULPHI audivisset. Illud idem, quod prædictum est, vir senio benè multo confectus nomine Tilemannus de Seckere, quem in contigua testudinali habitatione prope turrim versus Aquilonem primi Reformatores Monasterii B. MEINULPHI habitantem invenerunt, consueverat enarrare.

## C A P U T   X X X .

### *De Tilia B. Meinulphi.*

**L**Icet relatio veteranorum de progenie in progenies certis sigillatarum litterarum documentis, aut etiam registris munita non fuerit, tamen ut plurimum veritatem non amittit. Idcirco id, quod à senibus usque ad me senem sua relatione deducendum est, hoc Posteris meis scriptis reserare non tardabo. Cùm enim primò Monasterium B. MEINULPHI in statum Regularium Canonicorum translatum reformare laboravimus, quidam senes, quos pro tunc circa præfatum Monasterium habitantes invenimus, id, quod sequitur, nobis pro fide referebant. Dicebant, inquam, quod prope præfatum Monasterium versus Austrum quasi ad triduum miliare in villa desolata, quæ maternâ lingua Alten-Büeken nuncupatur, quædam esset Tilia, quæ ab incolis vicinorum locorum Tilia B. MEINULPHI vocaretur; causa etiam, quare eadem Tilia præfatum nomen haberet, annexentes dixerunt nobis, prout ipsis à Progenitoribus suis fuerat revelatum, videlicet quod B. MEINULPHUS sub eadem Tilia natus esset, quod si curiosè ab aliquo queratur, quomodo hoc eveniret, cùm idem B. MEINULPHUS de nobilibus Parentibus oriundus fuit? haec hujus rei causa protinus assignatur, nam eo tempore Carolus Magnus illam terram, quæ nunc Westphalia dicitur, ab errore gentilitatis imperiali gladio ad Christi fidem convertebat, castrum dictum Fürstenberg Paderbornensis Diœcesis, quod veteranorum relatione ad Parentes B. MEINULPHI pertinuit, etiam sibi cœpit; quo capto, dum Christiani Principes ex Comitatu Regis Caroli illud introgressi

gressi sunt , videntesque illuc nobilem castrum Matrem videlicet B. MEINULPHI gravidam partuque vicinam velut boni catholici viri eam cum pace absque ullâ molestia abire permiserunt. Et quia supradicta villa Alten-Büdecken in vicino sibi posita , & per exercitum Caroli predicti Regis devasta, dos præmemorata mulieris exstisit , ut à senibus nobis dictum , eadem gravida mulier in tanto suæ anxietatis periculo , dum melius , quod se verteret , non inveniret , ad præmemoratam villam velocius ire properavit. Ubi cum pariendi tempus approximavit , filium suum MEINULPHUM in loco minus ad hoc apto (forsitan puto quod prædicta Tilia) ut senes nobis retulerunt , parturierit. Post hoc aliquo transacto tempore quamvis prædicta villa per Carolum depopulata fuerat , ut præfertur , tamen quia illa pars terræ ad fidem Christi per imperiale gladium jam conversa fuit , propterea eadem villa paulatim reparari cœperat , & à W ichtrude Matre B. MEINULPHI ejusque colonis denuò incolari. Ita quod eadem Mater nobilis fæmina in pecoribus & jumentis ibidem pro se & filio suo supradicto habuit nutrimentum ; hujus testimonium ex hoc haberi potest ; nam in antiquissima legenda B. MEINULPHI legitur , quod dum subulcus B. MEINULPHI quadam vice ad pascendum porcos deducebat , visionem de novo Monasterio construendo in eodem loco viderat , in quo idem Monasterium nunc exstructum cernitur. Ex prædictis ergo verosimiliter convinci potest , quod licet Pater B. MEINULPHI fide catholica imbutus defunctus sit in bello , Mater tamen non remotè sed in vicinia prædicti Monasterij , puto in villa Alten-Böcken , suam habuerit mansiōnem , & quod B. MEINULPHUS secundum vulgare proverbium in eadem villa sub præmemorata Tilia exordium vitæ sumpferit. Quapropter ut etiam tam insignis pueri nativitatis locus , qui inter Westphalos velut præcipuus habendus est , & ante hac haberi debuit , longis post temporibus cognosci possit , eadem Tilia Domino DEO disponente ultrâ quingentos annos usque ad tempora , quibus prædictum Monasterium inhabitare cœperunt , suam vigorosam crescentiam & virentiam pleniū observabat , & adhuc ab incolis terra prædicta Tilia B. MEINULPHI nuncupatur.

(x) regulares in missis.

## G

## CAPUT

## C A P U T   X X I .

*De Spiritualibus Exercitijs Matris B. Meinulphi.*

**A**udi rem speciali gratiâ redundantem! Mater B. MEINULPHI jam noviter de gentilitatis errore ad fidem Christi conversa , cùm vir ejus fide catholica imbutus mortuus in bello sit, ipsa eadem viduata marito continentiam proximam virginitati palmam observare decrevit. Ipsa etiam WICHTRUD vocabatur, quod vocabulum quodam veritatis præfigio sortiebatur, quia pro Christi nomine cum vitijs & concupiscentijs bellum legitimè gessit. Prædictum tex- tum de vita B. MEINULPHI extractum cùm legiſsem , non sine vulgari gaudio perfusus legi, ex eo quod tam nobilis fæmina, quæ antea brevi videlicet temporis intervallo transacto ligna & lapides in gentilitatis errore adoraverat, jam ad fidem Christi conversa pro utili ac bono exercitio locò Magistri timorem & amorem DEI sibi constituerat. Ve- rū animadverteram , quod eadem nobilis fæmina nomine WICHTRUD quasi quodam veritatis præfigio gauderet , quia pro Christi nomine cum vitijs & concupiscentijs bellum legitimè gessit, & ejusdem nominis præfigium quid prætenderet, cùm minimè intelligerem, devotum super hoc consului virum , ut quid præfatum nomen significaret, explanaret. Hic quia præcipuuſ in ejusmodi mysterijs habebatur inter Fratres Mo- naſterij B. MEINULPHI, paululùm deliberatus super hoemih respondens ait in hæc verba : Ex quo WICHTRUD Mater B. MEINULPHI cum vitijs & concupiscentijs bellum legitimè gessit, ut præfertur, ideo inditum no- men ejus, quod est WICHTRUD, secundùm præfigium ad effectum præ- dicti spiritualis belli in materna linqua merito sic sonare videtur : Weichet dar ut: ac si Christus mulieri noviter ad ejus fidem conversæ ita loqueretur : spiritualem præpara tibi libram & concupiscentias tuas malas ac alia peccata tua , quæ in te ponderosa sunt sicut talentum plumbi , velut per libram in æquitatis lance de interioribus tuis libran- do deicere non absistas, & ita nomine tuo, quod est WICHTRUD utē- ris ad tui ipsius æternam salutem, dum id quod in te vitiosum & dam- nosum est, Weichet dar iiet scilicet è corde tuo. Nec talis nominis dicti interpretatio , ut præfertur, alicui extranea videatur, cùm Omni- potens

potens Deus, qui præfatam Mulierem de gentilitate ad fidem suam nō verat convertendam, tale nomen imponi voluit, quod suæ conversio ni optimè congruens erat. Prædictum etiam hujus DEO devotæ Mulieris exercitium ideo præsentibus scriptis manifestare volui, ut quia mulieris sexus in prænominato devoto exercitio sese studuit occupare, erubescant viri, si se in bonis exercitijs non magis quam mulieres exer cuerint.



## P A R S III.

### *De sex Prioribus Monasterij Böddecensis ab Anno 1420. usque ad Annum 1455.*

*De secundo Priore Monasterij B. Meinulphi in Böddeken,  
& de gestis, que tempore sui regiminis in predicto Monasterio  
facta fuerunt.*

**D**Icto de primo Priore Monasterij B. MEINULPHI, qui multis virtutibus exstitit adornatus, prout superius manifeste declaratum reperitur, restat nunc dicendum de secundo Priore ejusdem Monasterij: namque anno Domini 1420. ablato prædicto Priore, de alio pio ac bono pastore eidem Monasterio per divinam Clementiam satis bene provisum fuit. Nam sicut post primum Episcopum Paderbornensis Ecclesiæ (qui extraneæ exstitit nationis) secundus ejus Episcopus de Westphalis electus erat, ita pari modo post primum Priorem Monasterij B. MEINULPHI (qui natione fuerat Zelanderinus) electus est ibidem humilis ac devotus frater Joannes Lüne man ex Westphalis ortum ducens: siquidem ex oppido Geseke fuerat oriundus. Hic licet multis Virtutibus fuerit ornatus, humiliante tamen ac charitate, insuper & strenuitate præcipue præditus habetur.

G 2

CAPUT

---

C A P U T I.*De Humilitate secundi Prioris.*

**H**umilitas illius ex eo elucet, quod, cum torqueretur, suspiria verbis suis jungere consuevit; hic etiam quamvis praelectus Prior fuerit, Laicorum tamen lectos ipsis absentibus occulto modo sternere & ornare solitus fuit. Et ut breviter summam humilitatis ejus tangam, omnibus sibi subjectis norma & exemplar veræ humilitatis extitit.

---

C A P U T II.*De Charitate ipsius.*

**D**e Charitate ejus præcipua quædam dicere ac scriptis mandare censeo opportunum. Dum enim in Novitiatu suo longo tempore infirmitate validâ laboraret, ac modica spes reconvalscientiæ affulgeret, in hæc verba prorumpens ait. Dilecti fratres, si bonum vobis visum fuerit, ut propter gravem meam infirmitatem sanctum habitum exuam, audacter hoc facere non cessetis, nec ego de vobis quidquam repetere volo ex omnibus his, quæ per ingressum meum huc introducta sunt Monasterio, contentus namque ero in hoc, quod griseâ indutus tunicâ diebus vitae meæ vobiscum maneam in vestra domo. Et dum pius Dominus eundem de lecto ægritudinis, quam tempore sui Novitiatus perpessus fuit, ad pristinam reduxit sanitatem, licet in naturalibus viribus suis satis tener modicisque extiterit, tamen propter regnum cælorum vim sibi faciens gravioribus laboribus (prout loci necessitas exigebat) saepius insudabat, ac se ipsum cohibendo multoties ultra vires laborabat: vidi & ego cum quadam vice circa graves labores in tantum exhaustum viribus, ut crustam panis à Priore ad refocillationem suæ naturæ peteret sibi dari.

CAPUT

## C A P U T III.

*De ejus institutione, quòd Cantus, & psalmodia devotè per-solverentur, & de alacri ad Chorum festinatione.*

**Q**uia prædictus Prior ( ut cantus Ecclesiasticus in Monasterio suo pro divini cultûs augmento distinctè per sua tempora, ac humili voce persolveretur ) inclinatus erat : idcircò restat dicendum , quomodò idem Prior in sua Ecclesia eundem instituerit : námque primus Prior prædicti Monasterij , ac ejus fratres ( de quibus multi virtuosi actus supra plenariè conscripti sunt ) ob multiplices labores ( ut præfatum Monasterium tam in ædificijs suis , quàm in redditibus reformarent ) Horas Canonicas decantare minime potuerunt ; piè à Domino DEO ordinatum est , quòd supra dictus frater Joannes Lüneman secundus Prior omnes horas instituerit de cætero decantandas . Itaque ut institutus cantandi & psallendi modus eò diligentius in dicto Monasterio observetur , aliqua de hoc dignum duxi præsentibus annotare : námque dum fratrū excitor pro divino cultu peragendo ad cellas pulsū faceret : hi cæligeni fratres carnis torporem à se excutientes in conscientiæ suæ maculam diutiùs jacere non audebant , sed custodis strepitum aure cordis sentientes tanquam à DEO vocati celeriter sese erexerunt , surgentes divinis laudibus animum præparabant . Per ultimum verò choralis campanæ sonum ad Divinum Officium peragendum vocati , omnes cum honesta velocitate ( prout Religiosos decet ) tanquam de thalamo sponsi alares citissimè convenerunt , nec opus erat , pulsū aliquamdiu protelari , prout in quibusdam Monasterijs propter quosdam pigrantes carnem magis , quàm Spiritum adamantes , heu plurimū fieri solet . Cumque prædicti fratres in Choro convenerunt DEUM præ oculis habentes singula cum devotionis fervore tempora observando Horas Canonicas diligenter decantabant , psalmódiam etiam distinctè & humili voce absque saltibus ac duris extorsionibus depromebant : ut ergo in cantu ac psalmodiæ prolatione concors ac uniformis modus diligenter observaretur , hic versus , qui sequitur , reclinatorijs utriusque chori affixus fuit : *Anscultando cane , & simul incipe desine planè.* Ex-

G 3

plana-

planationem hujus versūs jam audi : Qui in Divino Officio cum alijs concorditer cantare voluerit , necessarium est , quòd primò per auditum suum vocem cantantium diligenter animadvertat , ut cum ipsis sive velociùs sive tractiùs cantandum fuerit , æquali spatio in cantando notam à nota ponat . Secundò , ut in omni pausa primam notam in reinceptione non præripiat , sed cum alijs uno eodemque tempore incipiat . Tertiò , ut quamlibet pausam terminet absque cauda , ultima etiam , prædictæ pausæ nota in ipso cantu modicūm , breviùs quam cæteræ exprimatur , quæ tamen in fine , quando à cantu jam cef- fatur , semper paulò tractiùs proferri debet . In cantu etiam & psalmodiâ nullus vocem suam ultrà alios concantantes levet , vel deprimat subtùs alios , cùm decens sit , ut sicut fratres unius voluntatis ad DEUM esse debent , ita & pari modo in voce sint concordes . Quibus prædictis observatis fit ut Conventus absque tædio & quodammodo sine labore delectabiliter & cum devotionis fervore Divino Officio possit interesse ; & non solum ipsis hoc deseruit ad suarum sa- lutem animarum , verùm etiam à foris propter Divinum Officium in Ecclesiam adventantibus per tam devotam melodiæ prolationem de- votio- nis incitamentum ministratur .

## C A P U T IV.

*Quām distinctè devotus Prior suas horas persolverit.*

**P**Rænominatus Prior , ut eò attentiùs suas persolveret horas , nul- lam syllabam in persolvendo voluit transilire , ne per hoc Deum offenderet , ne etiam propter transilitas syllabas à dæmone ( qui easdem colligere solet ) graves post mortem pœnas sustinere co- geretur . Nam quodam matutinarum tempore me præsente , cùm unus ex nostris in cantico Trium puerorum hanc dictionem *Benedicite* sinè advertentia duntaxat cum quatuor proferret syllabis , Prior hoc audiens , sonora voce præfatam dictionem distinctè cum quinque ex- pressit syllabis ; per hoc alium arguens , ut integraliter , quemadmo- dum teneretur , suas persolveret horas . Horæ etenim Canonicæ stu- diosè & devotè debent persolvi ; & ratio est . Horæ Canonicæ debent distin-

distinctè & apertè legi ad intelligendum, quatenus ipsem & audientes sensum verborum valeant percipere ; & quia Horæ Canonicae absque syncopatione dici debent, integræ enim & completæ dici debent.

## C A P U T V.

*De dulcisona voce, quæ auditur in Choro prædicti Monasterij B. Meinulphi, quando ibidem fratres cantant.*

**E**Tiam tam dulcis ac suavis melodiæ vox in choro Monasterij B. MEINULPHI inter ea, quæ ibi cantantur, multis temporibus resonabat, ita ut divinorum tempore ab his, qui extra Chorum erant, sonus cuiusdam dulcissimæ modulationis velut alicujus pueruli inter psallentes fratres stantis sæpiùs audiretur, quam singularem vocem quasi Angelicam quadam vice honorabilis Dominus Joannes de Gredenstein Sæcularis Presbyter, & dicti Monasterij continuus commensalis auditu suo percipiens mirabatur. Putabat enim, quod puer quidam parvulus tam dulciter, ut audivit, cum fratribus decantaret, & ut veritatem rei nosceret, concito gradu super Chorum B. Liborij in vicino situm ascendens desuper ad utrumque Chorum visum suum flexit; cùmque solos chorales fratres ibidem in Di-vino Officio absque puerulo concantantes cerneret, ac audiret, judicabat vocem illam, quam antea suis auribus dulciter intonantem audierat, magis divinam fore, quam humanam; & quia fratribus in Choro concincentibus supradicta dulcisona vox sæpiùs ab his, qui extra Chorum erant, audita fuerat, idcirco in vicinis locis, villis scilicet oppidis & civitatibus propè idem Monasterium situatis communiter dicebatur: Quod B. MEINULPHUS choralibus sui Monasterij fratribus sese socians concantârit, & quod præmemorata vox non sit velut Echo à testudine Ecclesiæ resonans, ex hoc declarari potest, quia eadem vox quibusdam temporibus in eodem auditur loco, quibusdam verò non auditur, insuper & ex alio certitudinaliter evinci potest, quod sæpè dicta vox Echo non fuerit. Nam ex illo tempore, quo Ecclesia B. MEINULPHI per suos inhabitantes Regulares plures aperturas

ras

TULIS

ras & fenestras receperit , quæ utique resonantiam qualemcumque tollere deberent & secludere , tamen non minus eadem postea perdurabat , ita , ut Anno Domini 1455. talis vox ibidem cum Regularibus ( quemadmodum ab initio , quo Monasterium inhabitare cœperant , consueta fuit ) non destiterit dulciter insonare , nec omnino desistet eadem vox adesse Regularibus loci , si & ipsi in observationibus suis sanctis minimè intepuerint . Quia de hac præmemorata voce cuiusdam Regularis probabile & rationi consonum tale , quod sequitur , exsttit sentimentum : videlicet , ut quocunque tempore Regulares Monasterij B. MEINULPHI observandorum suorum diligentes fuerint observatores , & ob hoc consequenter pro solito vivaciori & attenuiori modo in Ecclesia sua divinis intendunt laudibus , illud B. MEINULPHUS fieri videns quasi congaudendo suis fratribus ( de quorum professione creditur fuisse ) cum eisdem dulcisona voce modulari non æstimetur alienum . Jam de præmemorato secundo Priore Monasterij B. MEINULPHI dicta finem suum habeant ; & quod tam pauca de eo hic conscripta sint hoc idcirco accidit , quia , postquam octo circiter menses idem Monasterium benè rexit , Domino DEO gravi infirmitate eum visitante , finem vitæ fecit , virtuosumque exemplar in semetipso posteris suis dereliquit .

## C A P U T VI.

### *De tertio Priore Monasterij B. Meinulphi in Böddeken.*

**P**ostquam secundus Prior morte præventus regiminis gubernacula reliquit , devotus frater Daniel ejusdem Monasterij Anno Domini 1420. ibidem electus est in Priorem , cuius devoti viri vitam si quis scire aveat , scilicet , qualis in disciplari sua conversatione ante Prioratum exstiterit , legat superius de eo Capitulum , quod incipit : Nunc de discipulis , &c. & occurret id , quod scire cupit .

§. 25



## C A P U T

**C A P U T VII.**

*De amabili conversatione tertij Prioris.*

**C**um præfatus Dominus Daniel in priorem promotus fueraat, talem se in conversatione sua exhibere cœpit, qui ab omnibus merito adamari potuit, nec solum ab his, qui suum inhabitaverant Monasterium, sed & à cunctis in vicinis locis degentibus multum amabatur; & quis talem virum non diligenter? Qui, sicut corpore Virgo fuit, ita etiam Virgineum vultum habuit, verbūque salutis omnibus ministravit. Præfatus etiam Prior sciens, quantum coram justo judice virga correctionis peccatorum culpam ablueret, libenter ac cum desiderio fratres sibi subjectos pro culpis ac excessibus virginem castigavit.

**C A P U T VIII.**

*De Absolutione sui Prioratus, prout concepivit.*

**H**ic, dum in quartum annum rexit Monasterium, tandem ex eo, quod experientiam in externis minus habuit ad sui Monasterij promotionem, nimisque benignus ad Fratres suos fuit, quia magis oleum vulneribus, quam vinum fundere noverat, timere cœpit, ne non solum temporalium cura, sed & ordinis rigor per eum decresceret, idcirco absolutionem à suo petiit prioratu. Absolutus vero velut communis Frater usque ad finem vitae satiis devote in præfato vixit Monasterio. Cumque Dominus DEUS suum bonum ac fidelem servum, qui in paucis sibi semper fidelis fuit, remunerare disponeret, apostemate percussum de hujus vitae missis ad æterna gaudia (ut piè creditur) transmigrare fecit.

**H**

**C A.**

**C A P U T I X.**

*De miraculo, quod contigit eodem die, quo præfatus  
Prior duos Clericos investivit.*

**N**unc miracula, quæ sub regimine prædicti Prioris ob merita Beati MEINULPHI contingebant, annectere non displiceat: quodam namque tempore, cùm præfatus Prior duos Clericos pro religione satis idoneos disponeret investire, & benignus existens in die dictæ investitionis aliquid cibi lautioris conventui suo libenter procurasset, sed hoc facere non valens se se cum suis Fratribus sustinuit patienter: Et ecce pius Dominus patientiam sui Vicarij remunerare volens peracto prandio, eadem, quâ investitio facta fuit, die lupi ceryam de sylva expellentes insectationibus suis eam versus Monasterium Böddecensem fugam facere compellebant, & cùm eadem cerva propè dictum Monasterium pervenerat, prædicti lupi celeriter eam necarunt; quo facto unus devotus Laicus casu superveniens dictos lupos abigebat, Quod cùm prædicto Priori indicatum fuerat, ipse DEO grates referens, cuius pietati hoc adscribebat, multum lætabatur: nam quia circa predictam investitionem Prior ejusque Conventus de exigua mensa contenti erant, pius Dominus patientiam eorum amplioribus cibis recompensare volens, ceryam suâ dispositio ne ipsis in esum adduci fecit, de cuius carnibus non solum investitio nis die (quô ipsis præsertim lætandum fuerat) sed & tribus sequenti bus diebus, quibus vesci carnibus licitum erat, sufficienter sunt refecti.

**C A P U T X.**

*De pio Fratre, quem præfatus Prior investivit, qui libenter orare consuevit.*

**A**lius Frater nomine Conradus, qui cum altero defuncto sanctæ Religionis habitum acceperat, moribus gravis, sermonéque maturus ex dono DEI non solum humili ac devota sua conversatione, verum etiam in forinsecis suis operibus, cunctis, qui

qui secum conversati fuerunt, veræ religionis formam ostendere non tardavit. Hic est ille Frater qui ad devotè orandum à DEO gratiam habuit specialem, & idcirco talentum, quod acceperat, expendere utiliter volens alios ad saepius orandum multimoda sua sollicitudine ferventer hortabatur; & quia idem Frater specialis cultor Beatissimæ Mariæ Virginis erat, ideo ubicunque cum Fratribus suis, aut etiam Laicis externis laboribus insudabat, ut Virginis Gloriosæ ferta à collaborantibus legerentur, procurare non cessavit, & ita per prædicti Fratris piam sollicitudinem in sèpè dicto Monasterio talis laudabilis adhuc observatur consuetudo, ut tam Fratres quam Laici circa labores suos externos ad laudem & honorem ejusdem Gloriosæ Virginis ferta non omittant, & qui in isto exercitio negligens fuerit, aut etiam collaborantes (ut hujusmodi bona consuetudo Beatæ Virginis per omnia placens conservetur) minimè incitaverit, quid à corpore exutus pro mercede sit recepturus, ipse viderit. Nam reor quòd hi, qui B. Mariæ Virgini ferta devotè legunt in hac vita, non solum in hac vita gratiam, sed & speciale præmium ab ea recipient in futura. Jam de prædicti ferti utilitate audi clare factum miraculum: In Monasterio Beati Meinulphi quidam erat Laicus unus de continuis ibidem Commensalibus nomine Petrus, qui in tantum hydropica lue laborabat, ut à medicis vita ejus desperata fuerit; hoc judicium medicorum dum infirmo relatum fuit, more prudentis viri (quia humum sibi auxilium deesse considerat) ad divinum celeriter se convertit, in genua námque sua prostratus B. Virginem Mariam infirmorum salutem humili voce implorans ait: *O Virgo Maria impetra mihi gratiam apud Dominum Jesum Christum filium tuum, ut de hac infirmitate recorvalescam, & ego omni die, quoad vixero, unum fertum tibi legam.* Qua promissione factâ statim auxilium adfuit Virginis Gloriosæ, & ecce sequenti nocte prædictus infirmus omnem superfluum humorem (quo corpus ejus intumuit) per consuetum urinæ meatum in tanta quantitate à se emittebat, quòd de eodem humore integra urna repleta fuerit, & sic idem infirmus auxilio Virginis Gloriosæ pristinæ sanitati restitutus, postmodùm longo tempore sanus corpore supervixit. Ex hoc igitur insigni facto elucescit, quantum B. Mariæ Virginis placent, si homo ipsi in dies fertum persolvat.

Ut autem notum fiat, quid sit fertum, noverint universi; quòd

prædictum sertum ex 50. Angelicis salutationibus , & 5. Dominica-  
libus orationibus interpositis constituantur. Præponuntur etiam si-  
mul Dominicis orationibus *Kyrie eleison* , *Christe eleison* , *Kyrie eleison* , &  
singulis Angelicis salutationibus ista clausula, quæ hic sequitur, præ-  
poni debet: *Ave benigne Jesu cum omnibus dilectis sanctis tuis.* Dein *Ave  
Maria*, &c. qui ergo sertum recitare cupit, sic incipit: *Kyrie eleison* ,  
*Christe eleison* , *Kyrie eleison*. *Pater noster*, dein *Ave benigne Jesu*, ut supra,  
postea 10. *Ave Maria*. Sicque per omnes decades. Prædicta reassu-  
muntur, donec quinque Dominicale orationes , & 50. Angelicæ sa-  
lutationes persolvantur; quibus omnibus sic lectis subjunguntur An-  
tiphona: *Salve Regina*, &c. cum versu: *In omnis tribulatione*, &c. Colle-  
cta: *Inseruient pro nobis Domine Jesu Christe nunc & in hora mortis nostra  
apud tuam clementiam Gloriosissima Virgo Maria Mater tua*, *quius sacratissi-  
mam animam in hora benedictæ passionis & amara mortis tua gladius doloris  
pertransiit*.

*Adjuvet nos quæsumus B. Mariae semper Virginis intercessio veneranda, &  
à peccatorum vinculis absolutos tua faciat pace gaudere, per eundem Domi-  
num, &c. Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria: Anima omnium fide-  
delium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace. Nota, quod  
tempore Paschali pro supra dicta Antiphona, & Collectis ponatur  
Antiphona *Regina Celi*, &c. v. *Post Partum*. Collecta: *Concede nos famu-  
los, &c.**

## C A P U T XI.

### *De miraculo, quod circa prædictum Fratrem contigit,*

**P**ostquam prædictus Frater Conradus Froherle DEO disponente  
ad Monasterium Beatissimæ Virginis Mariæ in Herzhagen ex  
obedientia ad ibidem habitandum destinatus fuit, adhuc am-  
pliora suæ devotionis indicia circa ipsum manifesta reddeban-  
tur: nam quodam tempore, dum in præfato Monasterio cum Fratri-  
bus ad parietem faciendam laboraret, minus providus stipitem dicto  
parieti inter duos trabes imponendum nimium brevavit, ita ut in  
loco, quo stare debuerat, minus utilis haberetur. Quapropter sa-  
tis ob hoc doluit, & culpam suam recognoscens de damno, quod fe-  
cerat,

cerat, coram Fratribus ibidem præsentibus se reum proclamavit; quo facto Frater idem signum quod antea nimis erat breviatum, manu accipiens ad locum, in quo prius inter træbes stare non poterat, cum fiducia collocabat, & ecce! in tantum in ejus longitudine inventum est excreuisse, quod in eodem loco velut multum sibi apto fixum ac stabile permanserit.

## C A P U T XII.

*De secundo miraculo circa prædictum Fratrem facto.*

**Q**uodam tempore, dum idem Frater in supradicto Monasterio Supprioratus Officium gereret, Venerabilis Decanus Monasterij Beatissimæ Virginis Mariæ propè Fuldam cum suo coquo & uno Monacho Fratre suo venit in Herßhagen visitationis causa, dumque per aliquod tempus ibidem esset, ac in Dominica die ad suum redire vellet Monasterium, antedictus Subprior nolens eum iter arripere in sacro die, ordinatum fuit per devotum Priorem memorati Monasterij nomine Walterum, ut prandio peracto supradictus Decanus cum suis socijs, ac etiam cum ante dicto Subpriorre propter solarium piscinam quamdam propè Monasterium visitarent, ad quam dum pervenerant, viderunt lucium ad ripam ejusdem piscinæ stantem qui sèpè non modicum damnum cæteris inibi intulit piscibus. Stetit inquam dictus piscis tanquam mansuetum animal, quo usque memoratus Subprior arrepto cultello eundem interficeret. Supradictus Prior plurimum ex hoc tætabatur, quod præfatus lucius aliorum piscium nocivus impugnator (cui antea plurimas præparaverat insidias ut caperetur, nec per insidias prævaluerat) jamjamque captus esset eliminatusque de piscina. His ita peractis ad Monasterium regredientes de pisco, quem cæperunt (prout idem Subprior mihi scriptis suis indicavit) in nomine Domini, & cum gaudio reversi sunt. Itaque factum fuit, quia devotus ille Subprior semper ex corde suis Superioribus obedivit, pisco hic non per insidiarum cautelas, sed sponte in publicum veniens moramque sua statione faciens tanquam suo præceptoris usque ad sui internectionem simplici-

ter obedivit. Hic quidam Monastici viri ( quibus grave videtur obedientiale jugum ) considerent diligenter, quia mirum non est quod etiam carnem suam sibi ipsis rebellizare sentiant, quando ipsi Prælato suo Vicario Christi recusant simpliciter obedire.

## C A P U T XIII.

*De tertio miraculo circa prædictum Fratrem facto.*

**P**ræmemoratus etiam Frater DEO devotus, quia libenter recollectus erat, publicum vitans, cellæ suæ quandocunque hoc facere potuit, maximè diebus celebris & festis fidelis inhabitator habebatur, & ex eo quod libenter apud semetipsum manens DEO intenderet suisque internis, contigit, dum quadam vice solus in cella sederet, ac DEO sibique vacaret, præ dulcedine Spiritus visum ei fuit, quod cella ab intus igne plena foret. Sic consuetum est fieri talibus cœnobitis, ut divinam dulcedinem hic prægustent, qui non vanis circuitionibus inutilibusque discursibus vacare student, sed cum opportunum tempus ad hoc habere possunt, ut intus & foris his, quibus DEO placeant, occupentur, cellas suas inhabitant diligenter.

## C A P U T XIV.

*De quarto mirabili, quod circa prædictum Fratrem contigit.*

**Q**uodam tempore, dum in Choro cum alijs suis Fratribus Horas Canonicas decantaret, & pius Dominus præsentibus ostendere vellet, quod idem Frater columbinæ simplicitati in omnibus suis gestibus, moribus & factis se conformare studeret: Ecce! quando capitulum ex Breviario legit, Columba miræ speciei superveniens super caput ejus omnibus intuentibus sese collocavit, quam dum una manu abegit, supra omnium Fratrum capita, quotquot præsentes erant, de uno ad alterum volans aliquantulum fecit sessionem. Quo facto in omnium oculis evanescens ultra non apparuit.

CAPUT

## C A P U T X V .

*De miraculo quomodo cæca puella per intercessionem B.*

*Meinulphi visum receperit.*

**R**estat adhuc unum miraculum ( quod sub regimine tertij Prioris per intercessionem B. MEINULPHI contigit ) dignum ut exponatur : Erat quædam mulier in oppido Salzkotten , cuius filia amborum oculorum visu privata fuit , & dum mater ejus ob hoc plurimum tristaretur , sanctum MEINULPHUM humiliter in clamavit , ut ipse Dominum DEUM pro filia sua dignaretur exorare , quod saltem unius oculi visum mereretur recipere . Qua in clamatione facta filia unius oculi visum recepit : Mater vero , quod sanitatem amborum oculorum non rogasset , dolens ait in hæc verba : O si pro visu amborum oculorum sanctum MEINULPHUM invocasset , utique ambos oculos sanos impetrasset .

## C A P U T X VI .

*De quarto Priore Monasterij B. Meinulphi.*

**P**ostquam Daniel tertius Prior prædicti Monasterij ab Officio sui Prioratus fuerat absolitus , Venerabilis Frater Henricus von dem Stalle Anno Domini 1424. à Conventu eligebatur in Priorrem , qui dum vocatus & introductus fuit , ipse more spiritualis viri cœpit cum Fratribus Chorum continuè frequentare , ea etiam quæ sui statū erant , & Officij medio tempore ad hoc vacante diligenter trutinare .

## C A P U T X VII .

*Quod satis prudenter campestribus indaginibus munivit suum Monasterium.*

**H**ec dum inter alia malum patriæ statum animadverteret , ac Monasterij sui redditus renues & exiles , insuper quod omnino necessarium foret , ut Fratres pane proprijs manibus parto sustentarentur .

stentarentur , videreturque in non exiguum sui Monasterij detrimentum , quod militares quam plures ac etiam terrae spoliatores & vastatores quasi communi via per campos Monasterij sibi transitum consuetum usurparent , hospitiumque circa Fratres ipsis etiam invitatis & hoc habere nolentibus , saepe in damnum acceptarent ; propter quae ( quemadmodum Neemias , cum destructam Jerusalem restaurare vellet , jumento insidens extra civitatem gressum fecit , immunitaque loca , quomodo firmiter reparari deberent , diligenter animadvertisit ) ita praedictus Prior DE O inspirante foris ad campos ac sylvagia circum circa suum Monasterium situata , una cum Menlone de Wevere strenuo militari , & Joanne Saxone viro experto equester incessit , & ubi , quomodo praedictum Monasterium ab hostiis incursu muniri deberet , considerando perspexit , de consilio quorundam militarium , qui sui Monasterij speciales fauctores esse non destinerunt , indagines fortes ( quibus vicina Monasterij praedia circumdaret ) facere cœpit , & perfecit . Quibus peractis eadem indaginum munitio in tantum patriæ placuit , quod oppida in vicino posita , Geiseke scilicet & Salzkotten similiter & villæ propè Almam se per praedictas indagines satis bene munita considerantes , adjutricem magnum ( ut dicta munitio magis firmaretur , ac etiam augmentaretur ) virili animo porrigebant . Videtur ergo in praesenti , quod praedicta munitio Paderbornensi Diæcesi multum utilis in hac parte extiterit , nam antequam praedicti Regulares Monasterium Böddecente inhabitare cœperunt , antedicta oppida & villæ circa Almam situatae damna plurima ab inimicorum incursione pertulerunt : sed Regularibus præfatum Monasterium inhabitantibus , atque illud indaginum munitionibus vallantibus de cætero pax non parva praedictis locis collata fuit : ex quibus certitudinaliter conjecturari potest , si praedicti Regulares ad sèpè dictum Monasterium inhabitandum non adventassent , verisimile esset , quod propter malum patriæ statum non solum praedicta oppida usque in praesens maxima damna pertulissent ab hostibus , sed & omnes praedictæ villæ circa Almam sitæ magna ex parte forsan desolatae essent , insuper & præfatum Monasterium in solitudinem jam redactum esset , factumque jam habitatio sylvestrium bestiarum .

CA-

## C A P U T X V I I I .

*Quòd proprijs manibus unà cum suis Fratribus extrinsecis laboribus fideliter insudarit.*

**J**Am ad propositam materiam revertendo scire convenit , quòd prædictus Prior peroptime ponderans , nihil Divino Officio præponendum fore , instituit ordinavitque , quòd idem Officium in suo Monasterio ab his , qui ad hoc deputati fuerant , perficeretur , alijs Fratribus pro lucrando pane ac domus necessitatibus virili animo insudantibus , finitisque horis & prandio meridiano jam peracto Chorales omnes ad communes labores foris egressi usq; ad Vesperas laborabant . Prior verò in propria persona Fratribus se conjungens , ac velut unus ex illis corpori suo non parens fortiter ac strenue laboravit ; nec ob hoc hujusmodi ejus familiaritas inter Fratres & Laicos contemptum aliquem in ejus personam parturivit , imo associatio ipsius ad eosdem ex eo , quòd ejus conversatio seriosa & matura fuerit , omnibus ac singulis sanctum timorem incutere non cessavit . Insuper ut ipsum in majori reverentia habere possent , præfata sua sociatio formam ad hoc ministravit . Nec ego unquam deprehendi , quòd aliquis de ejus subditis levitatis verbum in ejus præsentia loquebatur , aut in cachinnum vel in ineptum risum solveretur : talem etiam se inter suos subditos exhibebat , ut non solum ab ipsis amaretur , sed & multum timeretur ; ita ut nec aliquis sub ipso Domino DEO militans ausus fuisset vel ex parte hoc scienter transgredi , quod ab ipsius institutione noverat sibi faciendum , & idcirco cum paucis personis & brevi tempore videlicet in duobus annis & dimidio ( quibus præfuit ) multa opera velut animosis vir perfecit .



I

CAPUT

## C A P U T X I X.

*De procuratione choralium librorum, de agrorum aug-  
mentatione, & adificiorum erectione.*

**C**Horales libros pro Divino Officio exhibendos per magnam suam diligentiam ad omnimodam sufficientiam scribi per suos Fratres fecit; Agros quam plurimos circa Monasterium jam per lignorum succrescentiam quasi in sylvagia redactos, denuo radicibus extirpari fecit, & ad uberes fructus ferendos aptare non cessavit. Lapideum equorum stabulum erigere festinavit, similiter & magnum horreum in pede montis subtus pomarium pro segetibus recondendis ac triturandis erexit. In praedio Monasterij, quod vulgato idiomate Gellinekhusen nominatur, molendinum cum suis requisitis fabricari fecit: ibidem etiam magnam piscinam molendino praedicto proximam & vetustate desolatam omnino restauravit. Hic etiam, dum præcipuum B. MEINULPHI patrimonium videlicet Oldenbüdeken vepribus ac supercrescentibus lignis obtutum, & quasi in solitudinem redactum animadverteret, æquo animo hoc ferre non valens ex industriosa sua providentia de remedio providit opportuno. Nam ne præfatum Patrimonium penitus à suo Monasterio fieret alienum, Ecclesiam Kerckberg jamjam propè desolatam in istum reædificavit finem, videlicet, ut quidam familiares sui inibi inhabitantes præfati Patrimonij bona denuo extirpando & purgando ad utilitatem Monasterij fructificare non cessarent; Insuper ut invalidi Conventus sui Fratres, qui Monasticum onus ultrà ferre non possent, in præfato loco habitantes recreationem susciperent aliquam, idèò pro eisdem ibi cellas ab utraque parte præfata Ecclesia exstruendas disposuit.



CA-

## C A P U T X X .

*Quod agenda, ut fierent, prædisposuit.*

**A**udi nunc prædicti Prioris sollicitudinem satis diligentem pro operibus agendis & perficiendis ; nam ne in exequendis operibus aliqua negligentia impedimentum præstare posset , idcirco præfatus Prior , prout frequenter omni die post completorium ( saltem cum feriata sequeretur dies ) Procuratore suo , Magistrorumque agriculturæ ad se vocatis , ita singula crastina die facienda fieri disposerat , ut eadem die illucescente omnes & singuli de si bi necessarijs antea provisi absque ulla dilatione ad agenda cum festinatione properarent .

## C A P U T X X I .

*De diligentia Prioris circa alienata bona.*

**V**enerabilis insuper Prior , de quo agitur in præsenti , circa alienata bona sui Monasterij tam fidelem pro eorundem recuperatione se exhibebat , ut quidam militaris eum ob hoc ægre ferens pecunijs quamdam personam de numero prædonum ( qui præfatum Priorem interficeret ) subornaverit ; Nec sic ab inceptis præfatus Prior cessans Monasterij bona virili animo , ut reduceret , laborabat ; Is verò , qui Priori mortis foveam in animo præparavit , horribili judicio præventus , in foveam ipse ruit , quam effudit .

## C A P U T X X I I .

*Modus , quo Laici circa exteriora in disciplinari vita servabantur.*

**A**udiatur nunc laudabilis modus , quo subditos sibi Laicos DEO eum juvante in disciplinari vita custodierit : nam dum Laici sui Monasterij foris in campis aut sylvis laborabant , prædictus Prior secundum Monasterij facultatem pro refectione cibum .

cibum transmittere consuevit, & refectioне peracta illud, quod in cibis superfluum fuit, statim per eum, qui cibum attulerat, ad Monasterium reportabatur. Tali modo prædictis Laicis omnino dempta fuit occasio, ne quivis eorum in privato de cibis superfluis contra disciplinarem vitam seorsim se reficerent, cum placeret.

## C A P U T   X X I I .

### *Quomodo detractores corrigebat specialiter.*

**T**Antus amator pacis exstitit præfatus Prior, ut si quis de subjectis suis coram se de alio Confratre conquestus erat, ne per hujusmodi quærelam major oriretur dissensio, illò penes se retento, qui conquestum fecerat, statim alterum, qui reus videbatur per nuntium adduci fecit, quibus in unum convenientibus jufferat Prior, ut is, qui præviè privatim contrà alium querelam deposuerat jam coram ipso positus idipsum, quod antea dixerat, publicè fateretur, & quem Prior in altercatione tali ibidem reum deprehendit, hunc impunitum saltē verbō abire non permisit; talique industrioso modo præfatus Prior dissidentes suos subditos ad charitatis & veritatis lineam reducens singulos tanto timore percussit, ut raro aut nunquam aliquid de altero loqueretur in privato, quod in publico minimè probare posset.

## C A P U T   X X I V .

### *De miraculo, quod contigit tempore sui regimini.*

**J**Am quamđā rapinam prædictis Regularibus sub regimine dicti Prioris illatam ex certa scientia præsentibus annexere dignum judicavi: Militaris quidam de Castro Wewelsburg multitudine subditorum suorum stipatus quadam vice cum sex curribus fæna domūs B. MEINULPHI de Campis, qui vulgari lingua Dockseefeld nuncupatur, ad suum claustrum duci fecit. Quod dum Laicis dicti Monasterij fuerat nuntiatum, tale damnum suo loco inferri dignan-

dignantes arreptis defensorijs armis ad ulciscendum se de injuria, portas Monasterij exire decreverunt, enim verò Prior domus eodem tempore in Choro psallens Divinum Officium peragebat, intelligēnsque ab uno, quid Laici agere vellent, celerem ad eos gressum fecit, illisque de periculo suorum corporum timens humili voce persuasit, ne propter præfatam causam Monasterium exirent, afferens, se quosdam ex Fratribus illuc missurum, quorum verbis præfatus militaris incepsum spolium non compleret, sed supradictus militaris militiā prævalens raptum fænum castro suo inferebat, hujusmodi itaque fæno per manum violentam sic ablato Dominus DEUS eidem militari volens innotescere, quantum sibi displiceret, sudores & labores pauperum servorum suorum auferri per rapinam, excessumque ejus abire nolens impunitum contigit, ut postquam præfata fæna castro suo illata fuerunt, optimus ejus equus, cui insidere solitus erat, sano ac robusto corpore sese lædens improvisè vitam morti sociarit. Sicque factum fuit, ut qui aliena lætus suis bonis admiscebant, proprium equum multum dolens amiserit.

### *De quinto Priore Monasterij B. Meinulphi.*

**Q**uia jam de quinto Priore Monasterij B. MEINULPHI pertractandum est, notum fiat posteris, quod Anno Domini 1427. Venerabilis ac devotus Hermanus von der Stefe electus est in Priorem prædicti Monasterij, homo grandævus, ætate senex, multis moribus adornatus.

### C A P U T XXV.

#### *Quomodo hic Prior in quieta vita suos rexerit subditos.*

**F**uit is satis internus, ac æterna bona totis animi votis concupiscens, ideoque & Cellita bonus ac laudabilis habebatur. In cella itaque sua sedens libros scripsit, & sic in quiete ac pace cordis Domino DEO ipsum juvante non minus subjectos suos tam Frates, quam Laicos in disciplinari vita peroptimè rexerit, quam

si in externis cum ipsis sese miscuisset. Cum quis subditorum ad ædificanda ædificia eundem incitârat , hoc , quod mente sæpius pertrahabat , maternâ linguâ respondens ajebat : *Laßt uns Zimmeren Hütten oben in das ewige Leben.* Et ut eò magis internus cum suis subditis fieri posset , ædificiorum erectionem , quæ tumultus & interioris hominis dispersionem solita est procurare , velut serpentem venenosum consueverat evitare , enim verò cum sanctis Patribus in casulis degere concupierat hic in terris , ut domum non manu factam , sed æternam in cælis habere meretur ; propter hoc etiam , prout frequenter in internis suis habitans , mente sursùm in cælis fuerat conversatus .

## C A P U T   XXVI.

*Quomodo Laici Magistro agricultura simpliciter obediabant in agendis.*

**E**T ut eò magis ac magis proficeret in virtutibus , Laicos suos in eorum Refectorio ad mensam confidentes interdum visitare consueverat , elsq[ue] dicebat : O vos dilecti Fratres mei , ex quo mihi Conventum meum respicere incumbit , propter hoc externasque causas Monasterij ideo in propria mea persona semper vobis adesse non possum , ut vos dirigam in agendis , sic placet & habere volo , ut Procuratorem meum , & Joannem Saxonem Magistrum agriculturæ in faciendis audiatis , elsq[ue] in his quæ jusserrint , simpliciter tanquam mihi obtemperare non cessetis ; nolite quæsd[em] respicere personam meam , sed illum , cuius vices indignus gero . Prædictus etiam Prior circa Confessionem Laicorum antedicta verba singulis repetens ad simplicem obedientiam eosdem incitavit , scilicet ut non solum ei in præsentia , sed in absentia sua Procuratori & Joanni Saxoni in agendis simpliciter obedirent .

## C A P U T

## C A P U T X X V I I .

*Quomodo illubenter foras exiverit.*

**P**roinde huic devoto Patri egressus ejus foras Monasterium satis gravis erat , noverat enim se alium reversum , quām exierat , cūm verò necessitate compulsus exire deberet , à suo Procuratore velut communis Frater nummos pro itineris sumptibus humiliter sibi donari postulavit ; in itinere constitutus , dum crucem stare cerneret circa viam , speciali devotione permotus pro animabus defunctorum Dominum DEUM attentiùs exoravit , quando enim orabat , semper cum attentione , & quasi cum columbino gemitu orationem depromere consueverat .

## C A P U T X X V I I I .

*Quomodo tempore famis pauperibus largiter dedit ,  
nec ob hoc minus habuit.*

**I**nsuper prædictus Prior specialis pauperum amator propter Christum fuit ; tempore nāmque famis , quæ Diæcesin Paderbornensem validā inopiā pressit , cūm unus modius filiginis pro duabus marcis ibi emebatur , præfatus Prior per donum DEI satis filiginis in Granarijs suis habens , ac indigentibus hominibus misericordiam præstare volens , sua Granaria aperiri fecit ordinavitque , quodd singulis adventantibus filigo venderetur , non tamen per integra moldra , sed per modios & scepelinos , ita ut non paucis sed multis penuriam sustinentibus ad inopiæ temperamentum subveniret . Idem etiam Prior misericordiā permotus in pauperes noluit , quodd prædicta filiginis venditio apud se tam pretiosa fieret , quemadmodūm prædivites & tenaces homines eam tunc temporis vendebant , sique factum fuit , ut modium filiginis , quem divites pro octo solidis vendere consueverunt , præfatus Prior pro sex solidis sibi persolvi fecerit ; interim , dum ista pietatis opera in præfato fierent

Mona-

Monasterio, Procurator domū nomine Depmarus penuriam timens temporalium propter jam dictam filiginis venditionem imminere posse, suo Priori dixit: nequaquam se sufficientiam habere in filigine pro inhabitantibus domū usque ad hordei messem, etiamsi non venderetur. Prior verò homo fide pietatēque plenus in hæc verba suo Procuratori respondit: Dilecte Frater, indigentibus misericordiam præstare non cessemus, nam superveniente hordei messe tortulas hordeaceas cumpauperibus volumus partiri, imo parati sumus, si necesse foret, manducare, & ita præfatus Prior usque ad futuram messem non solum indigentibus, qui filiginem comparare advenerant, sufficientiam de eodem pro paucis numis ministravit, sed & pauperum multitudini, qui in dies præ famis inopia Monasterij portas occupabant, cibum largiter dari jussit: ipsis verò ibidem saturatis sacculi eorum, ne vacui ad proprias aedes redirent, de Monasterij cibis replebantur; Audistis, quomodo præfatus Prior in pauperes exstiterat compassivus, audiatur & nunc, quantum ejus pietas valuit apud DEUM. Præfata pauca semina enim apud prædictum Priorem reservata, de quibus Monasterium ejus usque ad messem tunc futuram vix sustentari posse videbatur, ut præfertur, ex pietate DEI, qui ex paucis plurima facere solet, in tantum fuerunt augmentata, quod præfatum Monasterium non solum de illis usque ad messem sufficientem habuit victum, sed & necessitatem habentibus ex suis abundantiter venditum fuit, imo, quod majoris miraculi fuerat, superveniente nova filigine adhuc octo moldra de antiquo in Granarijs prædicti Monasterij sunt reperta. Videte, quomodo pauca semina his nostris temporibus sub potenti manu Dei receperunt incrementum. Misericordiam igitur indigentibus & pauperibus de mammona iniquitatis exhibet, amicos vobis ex eodem facientes, ut in æterna vos recipient tabernacula.

## C A P U T . X X I X .

*Quod patienter se habuit in adversis.*

**P**rædictus etiam Prior, quomodo in adversis occurrentibus patientiam exhibuerat, sequentia declarabunt. Nam Anno Incarnationis Domini 1429. ( quando de consensu sui Conventus deso-

desolatum Monasterium in Dalheim, ut pro divini cultū augmento reformaretur, ab Reverendissimo Archi- Episcopo Coloniensi tum temporis Paderbornensis Diæcessis Administratore, ac à Capitulo dictæ Diæcessis datis litteris sigillatis humiliter acceptavit, illudque reformare virili animo per suos Fratres laborabat: inimicus autem omnis boni diabolus huic sancto invidens operi, adversitatem, ne incipere tur id, quod pro DEI honore incipiendum fuerat, prædicto Priori suóque Conventui teleriter suscitavit. Porro eodem tempore, ne idem Prior propter dictam reformationem, quam incipere jam decreverat, suo Monasterio temporalem suam subtraheret provisionem, idcirco circa desolatam villam Haren in Agris B. MEINULPHI fæna metere fecit, & ecce quidam Militaris de Castro Wewelsburg DEI timore exutus cum complicibus suis superveniens quinque Laicos prædicti Prioris, qui fæna messuerunt, contra DEUM & justitiam inibi captivavit, & ut in Castro suo se præsentens sisterent, jumentum ab eisdem extorsit, neque in hujusmodi sua captione profecit, sed & plurimum ex confusione defecit. Audiatur nunc, quomodo maligni spiritus opus in prædicto facto fuerat denudatum. Nam præmemoratus Prior captivatos suos Laicos ad se vocans, eosque unacum devoto suo Subpriori Daniele ad supra dictum Castrum, quo comparendi juramentum fecerant, transmittebat. Ad pontem vero prædicti Castri venientes, portarius hujusmodi captivos Domino suo præsentes esse indicavit, propter quod idem Dominus non parva fuerat confusione perfusus, & non immerito. Nam inermes & devotos Laicos de familia B. MEINULPHI arcu & gladio captivarat, & quia multum ob hoc in se ipso confusus fuit, idcirco prima fronte, ut ingrediantur, non sunt permitti. Consilio tamen brevi recepti cum suo Fratre prædictos captivos intromisit, quia aliud confusione cogente non valebat facere. Ubi dum coram Militari per ventum fuit devotus Subprior Daniel humili voce Militari loquitur in haec verba: *Ecce hic vestri sunt captivi, quidquid eis feceritis, & hoc mihi facietis, paratus enim sum cum eis pati hoc, quod decreveritis tolerandum.* Haec audiens Militaris, ac multum eundem diligens Subpriorum verecundiā permotus, eos, quos ceperat, liberos & quitatos ad Monasterium redire permisit. Nunc autem fraude diaboli, quam circa primordialem reformationem Monasterij B. Petri facere attentaverat, denu-

K

data

data prædictus P̄rior jamjamque reformationis opus dicti Monasterij, quod incepérat, continuare non neglexit, præmemoratus vero Militaris Castrī Wewelsburg (per quem tēpē dicto Priori bellum motum fuit) ut præfertur, viceversa belli periculum non evasit, factum est namque sibi bellum, per quod non parvum damnum dominus ipsius sustinebat.

## C A P U T   X X X .

### *Aliud Patientiæ indicium.*

**U**T patientiam prædicti Prioris adhuc amplius palam faciam, id quod sequitur, audiatur, nam præfatus Prior, qui Dominus & Holtgravius est sylvæ, quæ vulgato nomine de Tüdorper Marck dicitur, dum in ea suos subjectos familiares ligna se-care fecerat supervenerunt villani utriusque villæ Tüpörp numerō circa 24. & violenta manu contra DEUM, & justitiam à prædictis Familiaribus pignora recipientes non solum eosdem abire compulerunt, sed & duo ex dictis villanis animo magis feroceſ & protervi unum de Familiaribus Prioris graviter vulneraverunt, & ecce Prior patienti animo Domino DEO hoc conquestus vindictam super Villanos ante dictos minimè expetivit. Quapropter Domino DEO disponente omnes prædicti Villani, qui præfatam contumeliam Monasterio intulerant, compuncti DEO, ac S. MEINULPHO de transgressu unanimiter (uno tantum excepto nomine Joannes Gauferat) satisfacere volentes, ad idem Monasterium pervenerunt, in quo jam existentes, ut simul de præmemorato transgressu agerent pénitentiā, unus eorum ardentí cereo manu arrepto nudipes, nudisque capite incedens, alij complices consimiliter nudipedes, ut decens erat, sequebantur, sicutque summum Altare ante dicti Monasterij omnes accesserunt, ubi genibus flexi, quasi uno ore devotum Monasterij Priorem præsente suo Conventu humiliter rogantes exorabant, ut injuriam per ipsos suis subditis illatam remittere vellet propter DEUM, addentes, quod consimile factum post hac nunquam vellent attentare, insuper & de cetero se semper Monasterio B. MEINULPHI fideles exhibere. His ita peractis ille alias Villanus, qui supra dictæ

lesio-

læsionis cooperator fuerat, ad prædictam pænitentiam cum alijs se recusans suscipere, statim à supremo Judge ad aliam pænitentiam subeundam judicatus celeri morte ab hoc mundo sublatuſ erat. Hujus etiam Prioris tempore, quo Monasterium rexit Böddecense, Monasterium Neuffiſiense de Reformatis Regularibus, ſub quo tunc Monasterium B. MEINULPHI cum nonnullis numerō decem conſtitutum erat, Capitulo Windesemensi, prout antea diu deſiderabatur, ad perpetuam Colligationem jungebatur.

## C A P U T XXXI.

### *De Translatione ejus ad ſuum proprium Monasterium.*

**P**oſtquam præfatus Prior B. MEINULPHI Monasterium in quinto annum laudabiliter rexerat, ac ipsius investitionis domus B. Catharinæ Virginis propè Novimagium ſituatum, proprio Pastore viduata fuit, eadem domus ipsum ad ſe revocans, in Priorem ſibi, prout licuit, præelegit, ubi dum aliquantulum tempus exegerat, in regimine, jam ſeniō confectus ac viribus deſtitutus ultimum clauſit vitaſ ſuā diem, per venturus, ut piē creditur, ad Dominum DEUM, qui omnem diem fecit & conſtituit.

## C A P U T XXXII.

### *Miraculum de monſtruofio Partu.*

**A**udiatur nunc res geſta multūm auditui horrenda poſtquam enim prædictus Prior bonæ memoriæ, dum adhuc in vita erat, & de Monasterio B. MEINULPHI ad ſuum proprium traſlatus fuerat, & nondum Canonizæ Böddecensi de novo Priore proviſum erat, quidam Militaris Diæcesis Paderbornensis nec DEUM timens nec homines reverens porcos Regularium violenter abegit, & ad Caſtrum ſuum ducens eosdem maſtari fecit. Quo peracto Uxor ejus vicina partui quoddam monſtrum in aliqua ſuī parte ſimile porco parturiſt, ſicut una de obſetricibus, quæ præſentes

K 2

erant,

erant, nonnullis postmodum referebant; præfatum inquam monstrum mortuum erat, habuitque pedes versus suram reflexos & à longe præsipientibus tanquam pedes porcini incurvati apparebant, habuit etiam magnum vulnus tumidum & apertum sed non cruentatum. Dicta obstetrix præfatum monstrum visu horribile supra suas ~~receptum manus~~ viro prædictæ parientis ad majorem etiam ipsius confusionem & horrorem, ne consimilem violentam rapinam Monasterio B. MEINULPHI de cetero inferre præsumeret, celeriter ostendens ait in hæc verba: *Cerne puerum tuum, isti námque sunt porci, quibus Monasterium B. Meinulphi spoliasti.* Qui magno perculsus horrore & pudore confusus monstrum istud satls horrendum ab oculis suis aufferriri mandavit. Justum namque fuit, ut qui porcos à Monasterio violenter abstulit, eosdémque vulnerando interfici fecit, puerum mortuum & monstruosum vulneratumque ac cum pelle porcina contextum per Uxorius suæ partum recipere mereretur. Pius insuper Dominus DEUS in se sperantes nunquam deserens, ne supra dicti Regulares sibi fideliter servientes in esu carnium (quibus spoliati fuerunt) in quoquam deficerent, sua pia ordinatione fecit, ut statim post dictam spoliationem ipsis de abundantia carnium mirabiliter provisum fuerit, ita, ut majus gaudium habuerint, quam dolor fuerat, quem antea de sua violenta spoliatione conceperunt. Ad augmentum etiam hujus gaudijs antedictus porcorum spoliator (cetera licet protervus) sibi tamen metuens, ne majori confusione propter dictam spoliationem perfunderetur, eosdem porcos Regularibus persolvebat. Insuper & utilitas non parva, quæ ob prædictam spoliationem sèpè ohvenerat Monasterio, talis erat: nam propter supradictum monstruosum partum quasi tota Patria in tantum timore perterrita fuerat, ut nonnulli Militares Diæcessis Paderbornensis, ne simile opprobrium suis Uxoribus eveniret, violentam manum in di-  
ctos Regulares mittere verebantur,

### C A P U T   X X X I I I .

#### *De sexto Priore Monasterij B., Meinulphi in Böddecken.*

**S**extus præfati Monasterij Prior Venerabilis erat Pater Arnoldus Hüls ex devotis parentibus originem ducens, qui cordialiter Domino DEO inhærebat, ac Mater ejus viduata ipsa cum sacris Virgi-

Virginibus in castimonia vitam communem agens defuncta est. Ipse autem prefatus Prior a devotis parentibus suis per optimè educatus proficere in timore DEI, bonisque moribus non cessavit, nam ab ineunte ætatis suæ flore usque in finem vitæ semper devotus Christoque firmiter inhærens habebatur, & sicut ab æterno prævisum fuit, ut Religiosam vitam duceret, ad Monasterium Regularium Canonorum B. Mariæ Virginis in Territorio Nobilium de Benthen situatum a parentibus suis pro Ordinis susceptione mittebatur. Ubi gratiosè suscepimus non longo transacto tempore ad Ordinis habitum promovetur, Religiosus vero factus, sancta simplicitas, & obedientiæ fervor in eo resplendentes, ut in virum perfectum cresceret, signa fuerunt manifesta, multis etiam ibidem exercitijs, & sui corporis castigationibus, nec non & in pauperate, ut in Monasterio noviter inchoato consuetum est fieri, exercitatus fuit ac probatus. In predictis namque ac alijs virtuosis exercitijs qualificatus DEO devote & sinceriter intentus erat. Et ut eò securius in interioribus suis perseverare posset superflua consortia Fratrum devitans, cum his, qui in interioribus vacare studuerunt, conversationem suam habere solitus erat. Quapropter dum quadam vice cum duobus alijs internis Fratribus devotam collocutionem perfecerat, visa est albissima columba eorum colloquio se commiscere, nec immerito, nam isti tres Fratres divinis sic intenti omnes columbinæ simplicitatis extiterunt, predicti etiam tres Fratres, ut reor, non absque causa speciali unum idemque nomen, quod est Arnoldus, habuerunt. Arnoldus enim Teutonica voce Arendl sonat, quæ avis, sicut super alias aves altius volare solet, ita & predicti Fratres præ ceteris suis Fratribus magis contemplativi habebantur,

## CAPUT XXXIV.

### *Quod directus fuit ad regendum Monasterium.*

**E**T quia idem Frater tam in scientia, quam spirituali vita multum profecserat, Venerabilis Prior morum gravitatem in eo diligenter considerans, Eumque utilem ac idoneum, ut alijs praeset, ad regendum judicans, quosdam Fratres sibi deputavit,

K 3

&amp; ad

& ad regendum Monasterium in Ostfrisia, *Esungen* nuncupatum (quod ad Regulares, ut reformaretur, tunc temporis recenter translatum fuit) supradictum Fratrem transmittebat, ubi dum in vinea Domini per aliquod tempus viriliter laboraverat, aliquibus è Fratribus suis & familiaribus per pestem gravem decedentibus, & ipse apostemate percussus erat, quod dum Venerabili suo Priori nomine *Henrico Lodere* in suo proprio Monasterio *Northorne* fuit nuntiatum, idem Prior litteratorium mox mandatum remittens hoc scriptum in se continebat: *Principio tibi Frater, ne moriaris in hac peste.* Quæ litteræ à supradicto Fratre ut perfectæ, rumpebatur aposterna, & convaluit is, qui pridem infirmus fuit, nec mirum, nam in veritate & sinceritate obedientiæ quævis pestis locum sibi nullo modo potest usurpare. Quia verò prædictus Rector pro reformandis Monasterijs satris aptus habebatur, postquam præfatum Monasterium in Ostfrisia Dei gratia ad bonum perduxit statum, jussus sui Prioris alio in locum ejus substituto, ad reformationem Monasterij B. Mariæ Virginis in *Bödingen* Coloniensis Diæcesis cum quibusdam sibi sociatis Fratribus transitum facere non cessavit, & aliquantulo tempore dicto Monasterio immoratus, quod reformationem ejusdem per gratiam DEI magna ex parte fecerat, cunctis ibidem Fratribus innotuit manifestè, quales etiam & quantæ tribulationes circa reformationes supradictorum Monasteriorum jam dicto Rectori occurserunt, quia longum esset enarrare, hic inserere prætermitto. Jam quia propter excellentia ac virtuosæ vitæ charitatem prædicti Rectoris aliquantulum à proposito narrationis fuit digressum, tempus est, ut ejus pios actus, quibus tempore, quo super Monasterium B. MEINULPHI in Apice Prioratus constitutus fuit, inclaruerat, insuper & miracula, quæ eodem tempore per B. MEINULPHI merita ibidem contigerant, protul Dominus dederit, explanare attentabo.


**CAPUT**

## C A P U T   X X X V

*Quando electus sit in Priorem, & de quibusdam vir-  
tutum suarum signis.*

**A**nno igitur Incarnationis Domini 1432. Venerabilis hic Pater Arnoldus Hüls in Priorem Monasterij B. MEINULPHI electus fuit, insuper & confirmatus ac solenniter inthronisatus, in quo quidem Priore, quia plura virtutum insignia claruerunt, è pluribus tamen ea, quæ Spiritualibus necessariò videntur imitanda, strictim velut quasdam sententias in medium adduco. Nam morum gravitas, sinceraque religiositas maximè in eo apparebant; Authoritas etiam & humilitas in illo tantùm relucebant, ut non solum Principibus, Magnatibus & Prælatis, sed & omnibus gratissimus, amabilis ac etiam honorabilis haberetur. Sic proinde ejus conversatio inter Fratres suos erat, ut amaretur simul à bonis, & timeretur à malis, morēque singulis gerere per optimè scivit, nec non omnibus hominibus verbis Religiosis satisfacere. Exhortationes & admonitiones quām sinceriter & utiliter facere solitus erat, præcipue illis notum fuerat, quorum corda per easdem exhortationes ad meliorem vitam fuscitaverat, vultus ejus & aspectus reverentiam & prudentiam omnibus modis prætendebat, quām denique humiliis corde fuerit, illis maximè patuit, qui ejus confessiones audierunt. Quando- cunque etiam cùm de exteriorbus & temporalibus loqui oportebat inter Fratres vel Sæculares, seu etiam in mensis Sæcularium, semper aliquem deificum & virtuosum sermonem solitus erat admiscere, per quem audientium corda ad DEUM, & ad æterna dirigebat. Insuper magna severitas in prædicto Priore fuit, nam in excessibus corrígendis nulli parcens, neminem palpans, æqualiter tam in senibus quam juvenibus id, quod corríendum fuerat, strenuè corrígebat, sicque factum fuit, ut Ordinis Observantia tam ab eo, quām à sibi commissis diligenter servaretur, & quamvis strenuus in corrígendis, non minus tamen salutaria monita subditis suis sèpissimè ministravit. Prædicti etiam Prioris studium tale fuit; videlicet, ut dum viam aliquam foras Monasterium peragravit, aut orabat, aut meditabatur,

batur, aut de illis loquebatur, quæ ædificabant ad salutem, cùm jam Monasterium egressurus cæperat ambulare, spiritualem materiam & specialem suo infixit cordi, per quam contra inania & otiosa, quæ occurrere possent, mentem occuparet.

## C A P U T    XXXVI.

*De quatuor Principalioribus Virtutibus prædicti Prioris.*

**P**Ræter prædictarum virtutum dona, quæ hic Venerabilis ac Deo devotus Prior in se habuit, alijs quatuor jamjam huic opusculo inferendis magno ac singulari desiderio studuit inhærere, videlicet, ut Christum Deum, & hominem sinceriter adamaret, spiritualis disciplinæ rigorem institueret, & servaret, salutem plurimarum animarum procuraret, insuper & multa Monasteria ( quantum in ipso fuerat) reformaret, hæc namque ejus principaliora virtutum dona singulatim declarabo.

## C A P U T    XXXVII.

*De primo Virtutum signo. Quomodo Christum amaverit.*

**Q**UOMODO & qualiter prætactus Prior Christum sinceriter adoravit, calamo & atramento ad plenum exprimere non sufficio; in tantum enim amor ejus in Ipsum ferebatur, ut si mentem suam & affectiones sensisset aridas circa Christum, in tantum corpore sese debilem repererit ac torpentem, ut lectum petens alta suspiria velut ab eo derelictus, sonorosè emitteret, etiam ut Christo eò pluries, eoque ferventiùs inhæreret, sculptam imaginem Crucifixi (quæ in Ecclesia B. MEINULPHI in sublimi quasi ad testudinem posita fuit) inferius poni fecerit supra mūkum in vicino & aspectu suo, ut mentem suam ad Christum ferventer amandum celebrius incitaret. Eandem ob causam & aliam Crucifixi Imaginem in opposito sui Stalli propè summum Altare fecerat collocari, & ne ejusdem Domini JESU quovis modo obliviſceretur, habebat & aliam ejus

ejus imaginem satls párnam propè se in cella fixam , & dum à foris  
adversitas sibi mota fuit, manu hanc Crucifixi imaginem arripiens in  
hæc verba ad affidentes loquebatur : *Iste, cuius hac Imago est, protector erit  
& defensabit.* Hanc parvam imaginem ex devotione, qua in Christum  
ardebat, postquam vitâ functus esset, poni petivit in sarcophago su-  
pra pectus suum, quod & factum fuit. Plura alia sinceri ejus in Cru-  
cifixum amoris signa ( quæ in Chronica sunt notata ) ob angustiam  
temporis adjungere supersedeo , ex modo positis pius Lector velut ex  
ungue Leonem facile cognoscet.

## C A P U T XXXVIII.

*Quomodo rigorem circa subjectos observaverit.*

**Q**uia prædictus Prior rigorem magnum circa spiritualem disci-  
plinam habuit, & observavit, multis de nostris notum esse  
constat, qui sub ejus disciplina eramus , & sicut idem Prior  
spiritualis vir in moribus erat & in vita , ita pari modo ut  
subditi essent, sollicitè laboravit: non ut Fratres ejus timore pœnæ,  
sed amore & fervore observarent observanda , insuper ut ad obser-  
vantiam, quam servare debebant eo facilius pervenirent, ideo varia  
& humilia cum iisdé ad hoc instituit exercitia, quibus seipso exercen-  
tes labiorum suorum vota perficere possent cum affectu. Instituit,  
ut Lector mensæ, quamvis parum aut nihil titubasset in Lectione, ta-  
men ad humilitatis exercitium lecta lectione ante Præsidentem in  
genua se prosterneret, & per hoc sese tanquam reum & culpabilem  
coram omnibus innotesceret, nec à terra surgeret nisi jussus. Insti-  
tuit insuper, quod temporibus Capituli eulparum aut etiam alijs tem-  
poribus , quando sibi hoc bonum visum fuerat, ut pro pœnitentia  
agenda quidam ex Fratribus in genua prostrati orationis Suffragium  
ab his peterent, qui ante refectionem aut etiam collationem  
ingressum peterent, ut se reficerent.

L

CAPUT

## C A P U T   X X X I X .

*De tertio Virtutum signo. Quòd pro defunctis ante refectionem orare instituerit.*

**E**T quia præmemoratus devotus Prior libenter consueverat pro defunctis orare, idcirco etiam voluit, ut quandocunque Fratres ejus pro sumenda refectione aut collatione ante Refectorium consisterent, ibidem mente revolverent, quomodo in Purgatorij flammis animæ pro peccatis, & negligentijs suis punirentur, & quia cum materiali eleemosyna ipsis in solatium, & levamen suarum pænarum subvenire non possent, misericordiâ moti saltem eleemosynam spiritualem, videlicet Psalmum *de profundis*, cum Collecta Defunctorum, aut cùm tempus pateretur Psalmum *Miserere*, cum prædicta Collecta, prout sibi ipsis in talibus pænis constitutis fieri vellent, illis ministrarent. O quām benè agit ille Frater, qui spiritualem eleemosynam ante suam refectionem illis animabus ministrat! Dictus insuper etiam Prior in Refectorio ad mensam sedens quām intentus Lectioni fuerit, nobis, qui præsentes eramus, certis indicijs manifestum fuit, & dum specialiter ad devotionem & fervorem permotus ibidem à deserviente legeretur, illum recenseri fecerat ab auditoribus, & per hoc attentos Fratres faciens, ut si forte in alijs tum temporis lectis extitissent negligentes, saltem repetitum punctum attentiùs considerantes ad cellam mentaliter deportarent, insuper idem Prior ad majorem fructum spiritualem percipiendum parietibus quædam scripturarum puncta affigi fecit.

## C A P U T   X L .

*De quarto Virtutum signo. Quòd singulari amore erga fidem catholicam flagrârit.*

**C**ùm de fide catholica aliquid sibi legeretur speciali gaudio vehementer exultavit: etiam multūm prædictus Prior ponderabat Domini DEI voluntatem, & quandocunque eam noverat, ut in

in effectum duceretur, viriliter eam persequebatur: hanc ut agnosceret, dum in Missis Dominum DEUM quotidie in suis manibus tenebat, dummodo non omnino indispositus ad hoc erat, humiliiter ei supplicans petivit, ut in hoc vel illo voluntatem ejus notam sibi faceret, & ob hoc interdum de manibus suis eundem non dimisit, nisi benedictionem super ejus agnoscenda voluntate recipere mereretur, velut S. Jacob cum Angelo luctans non dimisit eum, nisi prius benedictus ab eodem. Ordinavit denique rememoratus Pater & instituit, ne Fratres ejus diebus celebris, & festis per totum antemeridiem usque dum prandium meridianum factum fuerat, in publico extra cellas, sine vestimento nuptiali, videlicet sine cappis aut superpelliceis, secundum quod tempus sese offerebat, incedere deberent quovis modo, quod statutum in propria sua Persona observabat, ut autem de praedi<sup>ti</sup> Patris ulteriore devotione aliquid presentibus annotetur, noscant universi praesentiarum perlectores, quod iste Venerabilis Pater antequam temporalium curâ propter subditorum paucitatem minus premebatur, cum Conventu Chorum continuè frequentabat; dicebat namque, quod nullibiliterius esset super terram, quam in Divino Officio peragendo, ubi internum suum hominem saepius dispersum in diversa recolligeret.

## C A P U T X L I .

*De ejus Spirituali devotione in Divino Officio.*

**Q**uamplurimi adhuc de nostris sunt, quibus ejus fervor & devotion, quam non solum in Choro sed & alijs in locis gessit, fuerunt manifesta, nam quemadmodum S. David præ exultatione mentis saltaverat ante Arcam, ita iste devotus Pater pro singulari devotione, & fervore in suo stallo ante benedictum Jesum omnium Salvatorém elevationes quasdam sui corporis saepius faciens tripudiare videbatur, & quodammodo saltus facere, quapropter quia fatis ipsi familiaris eram, quadam vice eundem interrogavi dicens in hunc modum: *Pater cur sic saltando statis in Choro?* & mihi respondens ait: *Frater latitia cordis mei ita tripudio, ob ipfus formam, que ante*

*ante me est posita.* Ego verò lātum ejus responsum audiens loquebar ei in hæc verba : *Utinam & nos omnes tales saltatores essemus.* Et quia idem Pater internè devotus erat, idcirco omni tempore & loco, & maximè in Divino Officio strepitum facere non volebat, noluitque quòd aliquis tam de familiaribus, quam alijs Ecclesiam cum calope-  
dibus intraret.

## C A P U T X L I I .

*Voluit etiam Divinum Officium absque confusione fieri,  
& cum fervore.*

**M**Ultùm etiam ad hoc afficiebatur, ut Divinum Officium cum fervore & alacritate absque confusione perficeretur, & idcirco imposuit Magistro Novitiorum, ut saltem interdum cum junioribus Fratribus ad locum Capitularem vel Sacristiam in unum congregatis Officium Dominicale Sabbato præcedente percantaret. Ubi idem Venerabilis Pater etiam aliquando se præsentem fecit, & inter simul cantantes Fratres stans mensuratè cum iisdem percantavit. Cum verò dissontiam aliquam animadvertisit inter illos, statim accedens cantum ad debitum melodiarum sonum illos docebat, omnia etiam impedimenta, quæ in Choro recollectionem mentis ejus impedire potuerunt, reiici fecit, & ideo quia Choralis lampadis splendor ejus obtutum impedivit, ut sublimiorem locum sortiretur, ordinavit. Sic & lucernis nocturnalibus ob prædictam causam umbraculum apponi jussit, ne visus cuiuscunque Fratris tantis in opposito ardentes lucernæ splendoribus quovis modo impediretur. Prædictus etiam Pater in Choro stans, quando infra Missam in Symbolo cantabatur : *Sanctam Ecclesiam Catholicam* sese ad hanc verborum prolationem reverenter inclinavit, quòd si in Missa Conventuali post Elevationem Venerabilis Sacramenti, quando præcipue Fratres tenore Statutorum recolere debent beneficia nostri Redemptoris, aut etiam temporibus Benedictionis cerei Paschalis & Ramorum, vel dum alia in Divino Officio fiebant, quibus specialiter advertendum fuerat, vidisset aliquem ex Fratribus cum libellis suis ibidem occupari, statim in tubali voce per ipsum

ipsum facta innuebat Fratri tali, ut eo tempore dimissis libellulis intenderet intendendis, interdum Fratrem, qui praedicta ficerat, ipse accessit, & ob istam culpam eum graviter increpavit, nam idem Pater consueverat dicere suis Fratribus, quod meliora exercitia homo habere non posset, quam si in divinis se exerceret.

## C A P U T X L I I I .

### *De Libris Choralibus & Libraria.*

**L**ibros etiam pro Divino Officio propagando magna ex parte per Fratres suos maxima cum laude scribi curavit, siveque de Librariæ libris factum fuit: quæ quidem Libraria ejus jussu & consensu per honorabilem Hermannum Nienborch Subpriorum domus suæ ac sedulum sollicitatorem cum multis valde utilibus libris custodiebatur, & quia diuinos libros multum venerabatur hic praedictus Pater, sepius Fratres suos fuerat exhortatus, ut eosdem absque pulueribus, & maculis diligenter custodirent. Propter prædictam causam instituit idem Pater, quod Fratres, qui quacunque occasione habita matutinas cum Conventu minime visitarent, postmodum venientes pro matutinis suis persolvendis uti non deberent lectionarijs, quibus Conventus usus fuerat, nec Antiphonarijs, similiter nec novo & meliori Psalterio, sed parvis Lectionarijs ac Nocturnalibus & Diurnalibus ad hoc scriptis suas persolverent matutinas. Hic prænominatus Prior etiam ad Ecclesiæ ornatum fieri fecit Altarium tabulas, quas cum devotis materijs per devotum Laicum Arnoldum pictorem, quem Coloniæ ad secum cohabitandum acceptaverat, depingi procuravit,



L 3

C A P U T

## C A P U T X L I V .

*Quod sacras Reliquias procuraverit , eásque multum  
veneraretur.*

**I**Nsuper quia idem devotus Pater Sanctorum Reliquias speciali devotione confueverat venerari , idcirco à diversis locis plurimas reliquias per semetipsum procurandō Monasterio B. MEINUNPH apportavit , prout in præsentiarum cernitur esse factum , interdum etiam idem devotus Pater ex magna veneratione , quam sanctis libenter impendebat , fieri ordinavit , ut interdum , cùm Reliquiæ à foris jamjamque ad portam supradicti Monasterij pervenerant , tamdiu ibidem detinerentur cum reverentia , donec Conventus Choralibus vestimentis indutus processionaliter obviam veniens easdem cum sonoro cantu humiliter ad Ecclesiam apportaret : ibidemque parumper statione facta , & collectis congruis de hujusmodi Sanctorum Reliquijs per Præsidentem lectis easdem ex summo Altari ardenti cereo ante posito ad tempus pro majori devotione Fratrum obtinenda stare permittebantur , tamque devotus idem Prior ad Sanctorum Reliquias habebatur , ut cùm per Ecclesiam transitum ficeret , ire ad Chorum volens , sacris Reliquijs , quas in Capsa Joannis Baptiste propè viam collectas noverat esse , honorem eis exhibens multum reverenter , & devotè ad easdem sese inclinavit .

## C A P U T X L V .

*Quod plures occurrerint ad secum cohabitandum , &  
& quod multos investiverit.*

**E**T quia gratiam attractivam habuit , ut præfertur , terramque latam ac spatiösam plurimis cultoribus indigentem , pius Dominus DÉUS ex sua pietate taliter ordinavit , ut tam Laicorum , quam Clericorum ad coabitandum confluere multudo , quibus omnibus , prout in sequentibus patet , novit per optimè gerere morem , etiam tempore , quo idem Venerabilis Pater supradictum rexit

rexit Monasterium, adventantes Clericos investivit, nec non competentem numerum instituit pro conversis; ferebatur namque idem Pater tanto Zelo animarum, quod in uno Anno 14. Clericos investiverit, quibus ego, licet nondum bonus discipulus extiterim, ordinatus eram in Magistrum, etenim cum tractandum fuerat in Conventu de investiture quorundam Clericorum, idem Prior, quia præcipuus erat Zelator animarum, omnia, quæ ad hoc perferre potuit, ut assumerentur, peregit studiosè, insuper inter alia ajebat, *Fratres attendatis, misericordiam in perentibus jam facere non cessatis.*

## C A P U T X L V I .

*Quod ex Horis Canoniciis semper deberent fructum trahere maximè laboravit.*

**S**Æpius etiam contigit, quod idem Venerabilis Pater post dictas Primas in loco Capitulari quosdam Fratres, aut quasi omnes, unumque singulariter tamen interrogavit, qualem fructum ex tum dictis Primis vel etiam ex præcedentibus Matutinis sibi extraxisset, per hanc enim exercitationem Fratres suos multum sollicitos reddidit, ut spiritualem fructum ex Horis Canoniciis & Divino Officio ad eorum profectum haurirent & retinerent, impletique in eis, quod S. Augustini Regula præcipit: *Hoc versetur in corde, quod profertur in ore.*

## C A P U T X L V I I .

*De hoc quod Fratres interrogavit, quale vitium eos maximè infestaret.*

**I**N prædicto etiam Capitulari loco, ut Fratres nociva tentatione contempta in spiritu liberos redderet, sæpiissime à quibusdā sciscitabatur, quo vitio & tentatione maximè tentarentur? Ad quam interrogationem hi, qui ad puritatem cordis præ ceteris virtutibus anhelabant, Prælato suo tale responsum dederunt: *Pater libenterius*

etiam volumus coram hominibus in publico confundi , quām intius coram DEO in conscientijs nostris quidquam impuri gerere. Ad quām interrogationem Pater unicuique singulare remedium dare solitus erat , & ad propositum illorum confirmandū sēpē Deum precibus suis sollicitabat. Audi vi & ego unum ex Fratribus nomine Joannem à Kempis super hujusmodi interrogationem Patfi suo respondere in hæc verba : *Pater vitium luxuria magis mihi dominatur , magisque me infestat.* Pater verò audiens humilis Fratris humilem responsionem , ne idem Frater ex pura denudatione peccati sui inaniter elevaretur respondens ait illi : *O quām immundus es mi Frater ; ad quām responsionem minimè ex animo efferebatur , nec indignabatur , sed hanc tanquam optimum remedium sibi assumpsit.* Quām obrem devotus Pater instituit , ut quandocunque invicem loquendi facultas concederetur , nullus quidquam quām perutilia , & animæ salutaria prout statui Religiosorum maximè congruum erat , loquerentur , dicebat namque quemadmodum fabri de fabrili , sutores , sartores , & sartores , & ceteri artifices de suis artibus loqui solent , ita vos Fratres mei in unum locum convenientes de sacra Scriptura , & alijs materijs animæ vestre proficuis loqui vos assuescere debetis , quæ laudabilis consuetudo tantæ utilitatis omnibus & singulis fuit , ut Fratres hujus assueti inter se non de Sæcularibus sed semper de Spiritualibus materijs loquentes inventi sint.

## C A P U T XLVIII.

*Cum quanta devotione Festum Venerabilis Sacramenti supradictus devotus Pater consueverat celebrare & suos Fratres incitare.*

**S**ic dicebat inter cetera sua celeberrima incitamenta , quibus Fratres devotos faceret in supradicto Festo : Fratres mei istud gloriosum & gaudiosum Festum , quod celebratur jamjam sumus , non ministrat nobis tantum speciem panis sed & additur sapidissimus cibus & dulcissimus , qui est Dominus noster JESUS Christus semper benedictus , pinguis est enim panis Christi , & præbebit delicias regibus , regibus inquam , qui per illuminatam rationem sic suam

suam sensualitatem & cupiditatem regunt, ut caro spiritui semper sit subjecta: tacito etiam affectu hic devorus Pater ad hujusmodi Venerabilis Sacramenti Festum ferebatur, ut singulis annis eodem Festo imminente Sacrifici diceret: quod pavimentum Ecclesiæ multis & varijs floribus adornaret, & alios Ecclesiæ ornatus specialiter pro solito cum majori decentia exponere non negligerit. Audiatur & nunc de speciali devotione supra dicti devoti Patris, quam ad istud Venerabile Sacramentum habuit, nam ut mihi homunicioni, qui saepius cum illo conversabar, quadam vice enarrabat dicens: Frater dum Monasterio B. Mariae semper Virginis in Bödingen præfui in regimine, & in prædicto sancto Festo Venerabile Sacramentum, prout laudabilis consuetudo Christianis est, in processione circumferrem, audiremque campanarum pulsū, strepitumque per validum ab iisdem inibi habitantibus ob Venerabilis Sacramenti Venerationem fieri, optavi, ut omnia grama, quorum infinitus in eodem loco numerus habebatur, campanæ forent, & similem sonum ederent. Et quia jam dictum est de speciali devotione, qua præmemoratus devotus Pater in Venerabile Sacramentum ferebatur, audiatur nunc quomodo idem prædictus Pater salutari doctrina suos Sacerdotes instruxerat, ut ad celebrandas Missas sese devote præparent; dicebat namque, quod quam citò Sacerdos post celebrationem suam jam peractam sacras vestes exueret, deberet rursus incipere se ad futuram celebrationem maximo fervore, & devotione præpare, & hoc non immerito, quia devotus Sacerdos, qui vitâ & moribus ad Christum pertinet, post celebrationem suam, in quantum sancta admiserit obedientia aut necessitas non impedierit, publicum fugiens, angulum quo se in devotione, & concepto fervore custodiat, petit festinanter: sicque circa semetipsum intrinsecè à superfluis præservatus occupationibus, proximam ejus celebrationem cum affectu præstolatur, cum verò necessitate cogente, aut sancta obedientia præcipiente in publicum gressum suum faciet, non aliter facies ejus appareat illis, qui eum intuentur, quam facies Moysis filiis Israël apparuerat, quando de Monte Sinai ad eos descendebat. Nam sicut Moysi facies ex confortio & colloquio quod cum Domino in præfato Monte habuit, radios sui splendoris à se transfuderat, ita quod filiis Israël eadem facies eximio suo splendore cornuta esse videtur,

M

deretur,

dcretur, nec eam nisi interposito velo intueri valerent, sic devotus Sacerdos Christo per bonam vitam incorporatus postquam celebraverit, in tantum in interioribus suis servet, & ardet ex devote confortio, quod cum Domino in monte Altaris habuit, ut ejus conversatio velut cælestis Angeli omnibus acceptabilis, & exemplaris esse videatur. Contrarium verò est de illis, qui se ad celebrationem Missæ negligenter, & somnolenter præparant, nam hi, qui agustum specialis gratiæ circa eandem celebrationem non percipiunt, idcirco sicut aridi & impræparati ad cælestia Sacra menta peragenda acceperunt, sic & aridi ab Altari recedunt, ut illorum conversatio finitis Sacrificijs manifestè prodit.

## C A P U T X L I X

### *De ejus magna Credulitate ad Venerabile Sacramentum.*

**Q**uidam vice dum idem Prior propter magnam corporis sui debilitatem de ulteriori vita sua desperaret, & communicare jam vellet, Venerabile Sacramentum sumpturus dum proposita ei fuit Evcharistia, & interrogaretur à ministrante Sacerdote: credisne quòd sit Christus Salvator mundi in hoc Venerabili Sacramento contentus? Prior ex credulitate & fervore, quem ad Christum habuit, non suffecit, respondere *credo sed scio* respondebat. O qualis vir! quam credulus ad istud Venerabile Sacramentum! prædictis ego Frater Joannes interfui, eaque audivi.

## C A P U T L.

### *Sequitur, quod pertinet ad quartum Virtutum signum; nempè de Reformatione Monasterij B. Meinulphi.*

**E**t quia pluralitas Laicorum, quos prædictus Venerabilis Pater suscepérat ad regendum, ædificiorum augmentum requirebat, idcirco idem Pater illud magnum ædificium versus occidentem situatum fieri fecit, insuper versus Aquilonem ligneum ædifi-

ædificium cum lapideo suo pede pro equis recludendis. Dōmum su-  
 pra foveam stantem in opposito Dormitorij lapideam struī laboravit,  
 cuius cūm ipse fundamentalem lapidem ponere voluit, ante cum non-  
 nullis Conventualibus in genua prostratus Dominum DE U M al-  
 aliquamdiu propter erigendum ædificium implorabat. Dein ut no-  
 va porta Monasterij versus meridiem erigeretur similiter D E U M  
 follicitavit, & ovile super montem, qui vulgari lingua *Fridberg* dici-  
 tur, & domum in vicino ibidem pro opilionum habitaculo, insuper  
 & in Villa *Ettelen* supra liberam curiam prædicti Monasterij munitio-  
 nem sive Granarium, & ovile cum annexa domo fabricari fecit, ut  
 verò spiritualis vinea Domini DEI Sabaoth in Monasterio B. MEINUL-  
 PHI intra montes jam plantata, & per Christum verum Agricolam  
 purgata ampliorem fructum ferat, necessarium fuerat, ut eadem vi-  
 nea spirituali sua crescentia in longius palmiteos suos extendere non  
 cessaret: quod ut fieret, quia supradictus Venerabilis Prior spiri-  
 tualem vitam, quam in præmemorato Monasterio jam jamque de  
 gratia Dei benè institutam habuit & fundatam, ad remotiora loca  
 libenter extendisset, Domino DEO piè disponente ordinatum fuerat,  
 ut quidam Prælati ac Nobiles Comites, quorum ipse corda tetige-  
 rat, de diversis locis unus post alium Legatos suos cum Missionarijs  
 ad præfatum Priorem destinantes humiliter eundem rogaverunt, qua-  
 tenus pro acceptandis & reformandis Monasterijs ad eosdem versus  
 partes Rheni ascendere non desisteret quovis modo, qui quia multum  
 libenter pro animarum salute solitus erat Monasteria reformare,  
 præmemoratos Prælatos & Comites de consilio & consensu sui Con-  
 ventus cum gaudio cordis visitavit, & singulis circa acceptanda &  
 reformanda Monasteria diligenter consideratis Capitulo suo Generali  
 eadem considerata, ut hujusmodi Monasteria acceptare posset, pro-  
 mulgavit: quodque Capitulum, dum attenderat supradictum Priorem  
 ad talium Monasteriorum receptionem multum inclinatum fore,  
 precibus suis consensum, ut eadem acceptaret, tribuit, sicque fa-  
 ctum fuit, ut non solum unum vel duo sed plura, quæ sequuntur,  
 reformaverit. Denique quia supradicta spiritualis vinea Monasterij  
 B. MEINULPHI ad quatuor mundi partes, videlicet ad Orientem, Me-  
 ridiem, Occidentem & Aquilonem suos debuerat extendere ramos,  
 idcirco Domino DEO piè disponente præmemoratus Prior primò

M 2.

ver-

versus meridiem quatuor acceptaverat Monasteria. Primum erat Monasterium B. & gloriæ Virginis Mariæ in *Hertsenhagen* situm in territorio Nobilium de *Eppenstein* Moguntiensis Diæcesis. Secundum Monasterium Horti gloriæ V. Mariæ in *Hirtengarten* Diæcesis Wormatiensis. Tertium Monasterium B. Petri in *Heghen* situm in Comitatu de *Tinighen* ejusdem Diæcesis. Quartum Monasterium B. Mariæ Magdalenæ propè Confluentiam in *Insula* constitutum Diæcesis Trevirensis. At verò versus Occidentem Monasterium sanctis Salvatoris propè oppidum *Attendohen* Coloniensis Diæcesis, quod licet per Conventum Monasterij B. MEINULPHI antea acceptatum fuerat, tamen quia per negligentiam quasi omnino à disciplinari vita destitutum, supradictus Venerabilis Prior manum apponens validam idem Monasterium ad Regularem & bonum statum reduxit, versus Aquilonem sèpè dictus Prior Monasterium S. *Dyonisi* Diæcesis Mindensis acceptavit, versus Orientem verò in *Volkmaria* Moguntiensis ipse Venerabilis Prior de novo instituit domum devotarum Sororum, quemadmodum & antea in Oppido *Lippensi* consimilem devotæ Congregationis cum gaudio domum instituit. Lætentur Cæli, quia has utrasque domos devotarum Sororum Domino DEO diligenter famulantum inhabitat multitudo. Ecce qualia & quanta bona ex alia spirituali vinea æterna DEI prædestinatione in Monasterio B. MEINULPHI complantata ad salutem plurimarum animarum processerunt, & quibus laboribus, & anxietatibus ob prædicta præfatus Pater involutus fuit, non facilè exprimi nec adumbrari potest, & non ad hæc omnia suscipienda, & perficienda gravia onera suffecisset, nisi supremus Dominus illum in hisce roborasset.

## C A P U T L I.

### *De morte prædicti Venerabilis Prioris.*

**P**ostquam verò supradictus devotus Prior Monasterij B. MEINULPHI in decimum octavum annum strenuè rexit, pius Dominus, ut fidelis servus ejus magna ex parte ab hac vita purgatus iret, gravissimis pænis longoque cruciatu punivit eum circa finem

vita

vitæ suæ, nam licet quasi per totum tempus incolatūs sui multas mo-  
 lestias sui corporis sustinuerat, tamen ante finem, quo de mundo hoc  
 tolli debuit, in tanta pænarum decoctione fuit, ut nec stare sine no-  
 tabili læsione posset, nec jacere, etenim morbos, quos Medici cal-  
 culum appellant, & colicam gravissimè & creberrimè patiebatur, &  
 lapilluli ad pisarum quantitatem per urinalem viam egrediebantur  
 ab eodem, nec solùm prædictis infirmitatibus, sed & aliis pius Do-  
 minus eundem castigavit & probavit. In probatione sua inventus  
 fuit fidelis, nec licet multum debilis, multumque infirmus fuerat,  
 tamen ut Domino nostro JESU Christo in passionis suæ stigmatibus  
 aliqualiter similis in hac vita haberetur, ex desiderio cordis in hæc  
 verba loquebatur: *Utinam adhuc 100. annis possem hic in carne positus ta-*  
*lem pænam, quam jam patior, sustinere!* Et quia in multis pænis tam pa-  
 tiens habebatur, piè creditur, quod Dominus DEUS voluerit, eum  
 in hac vita Coronam Martyrij promerer. O magna DEI pietas!  
 Ex quo prædictus Venerabilis Prior quasi ab ineunte ætate sua sem-  
 per devotus internè extiterit, magnusque fuerit in Reformatione  
 multorum Monasteriorum, ac in lucrandis animabus virilis habeba-  
 tur Operator, ne propter hæc omnia in vanam gloriam extolleretur,  
 piè à Domino DEO permisum fuit, ut ferè tribus annis ultimis vitæ  
 suæ non solùm gravissimas corporis pænas sustineret, de quibus jam  
 dictum, sed & omnis devotion ab eo recessum faciens aridus spiritu  
 factus erat, & quamquam aridus, & indevotus, tamen Dominus  
 DEUs pia sua ordinatione illum singularem dilectorem suum antele-  
 etum in sede sua sedentem præsente Conventu ac omnibus ab eo di-  
 missis pænis absque inordinato motu quasi dormientem in pace cor-  
 dis, ut speratur, fecerat hinc transire. O pium Patrem! O devo-  
 tum Virum! O singularem Christi Amatorem! quis illum non lugeat?  
 quis non defleat? qui tam devotas ac perutiles institutiones institue-  
 tuerat, quibus attingitur vita spiritualis, qui denique tam exempla-  
 ris in sua conversatione continuè habebatur, qui tam Zelosus exti-  
 tit pro lucrandis animabus tamque pius in omnibus actibus suis effe-  
 buerat? Prò dolor, & quod sine gemitu dicere non valeo, talis in  
 vinea Domini sincerus, & virilis Operator raro invenitur, qui tam  
 fortiter ad hoc laboravit, ut vivi lapides ex lucratis animabus jam-  
 jamque facti in structuram cœlestis Jerusalēm cum gaudio ducerentur,

M 3

&amp; quia

& quia ex defectu rigoris Monasteria & devotæ Congregationes , prout frequenter ad omnimodam spiritualis vitæ destitutionem parlatim soleant devenire , necessarium est, ut iste præfatus strenuus , & devotus Pater universis Monasteriorum Prælatis in bonum ac perutile positus sit exemplar , quatenus & ipsi in rigorosa vita , qua suos subditos rexit , imitantes bravum æternæ felicitatis recipiant in mercedem , quod si rigoris distinctionem minus exercuerint in subiectos , causa fuit , quod defluerent in vita spirituali , & ob hoc in horribili judicij die certissime ad futurum non solum sua sed & subditorum peccata in pænis luant..

## C A P U T L I.

### *De Innovatione miraculi , quod aliquando contigerat in dicto Monasterio cum ardenti lumine supra pannum.*

**C**um miracula dñina , quibus humanum genus ad melioris vita statum provocari potest , absque culpa nequaquam à scientibus taceri possunt , dignum duxi illud , quod relatione devoti Confratris mei supradicti Monasterij , cui hoc contigerat , præsentibus tradere scriptis , nam ut in gestis S. Confessoris MEINULPHI legitur , cereus in se retortus & accensus supra nudum pannum , quo prædicti B. MEINULPHI sepulchrum opertum fuit , absque quolibet intermedio ponebatur , qui & neglectu cuiusdam devotæ Canonissæ dicti sepulchri custodiam habentis per ardorem finem suum fecerat , nec idem pannus in aliqua ejus parte lœsus apparuerat . Et quia idem miraculum ex eo quod multis temporibus agnum fuit , & heu quodammodo in quorundam hominum cordibus jamjamque verustate temporis minus veneratur , pius Dñminus DEUS ad honorem B. MEINULPHI sui Confessoris volens aliquorum Fratum dicti Monasterij , à quibus B. MEINULPHUS forsitan non sat s honorabatur , ad devotionem & fervoris igniculum imò ad ampliorem sui Patroni venerationem excitare supradictum miraculum videlicet de cerei combustione supra pannum disposuit innovare . Nam præmemoratus Frater cui , quod jam relatus sum , accidit , Arnoldus Gallicus vocabatur , qui quodam

dam tempore postquam Missam suam eelebraverat , & Sacristiam se exuturus jam intrare vellet, vidit à longe lumen ardens de candelabro lapsum jacere supra nudum pannum mensæ illius, de qua Sacerdotes ad celebrandas Missas sacræ vestibus se vestire solent. Quid egit? Damnum timens tardo incessu derelicto festinavit ad locum, ubi hoc incendium erat , & lumen ardens supra præfatum pannum lapsum amovere solicitans, putaverat enim ab incendio supradictum pannum omnino consumptum esse, sed ecce idem pannus absque ulla sui læsione aut combustionis signo reperitur ; quique incendijs locus ob miraculi magnitudinem à devoto tum temporis Monasterij Custode videlicet à Fratre Joanne Warburg in circumferentia ejus acum filis sericis nitidissimè cornatus & elaboratus fuit. Omagnum stupendumque miraculum , quod nostris factum est temporibus, magnum inquam apud illos, qui B. MEINULPHUM , cujus pia intercessione factum hoc non ambigitur , magnum in cordibus suis habent. Idem etiam lumen, cuius ardoris vis ad hoc divinitus sublatus erat, ne supradicto panno noceret , usque ad hodierna tempora in dicto Monasterio reservatur de consultu cujusdam devoti Fratris : speraverat námque idem Frater quodd tale lumen, per quod ingens hoc miraculum factum , majoris aliquando utilitatis futurum esset, quod minimè impossibile creditur.

## C A P U T L I I I .

### *De Fratre , qui de sublimi cecidit , non laesus fuit.*

**T**empore, quo pistriñum lapideum in Monasterio B. MEINULPHI per solicitudinem Venerabilis Prioris Arnoldi Huls jam magna ex parte constructum erat , & necdum in eo aliquod lobium factum, sed pro tribus fiendis lobis unum super aliud cum nudis trabibus in quartum pedem ab invicem distinctis duntaxat fuerat præparatum, idcirco ut idem pistriñum eò citius utilitati, ad quam fuerat factum, deserviret, primò cum straminibus , absque intermixta gleba tegebatur , & dum ad hujusmodi tectum faciendum Fratres laborarent, unus ex ijs nomine Hugo ad hoc deputatus tangentibus supradictum ædificium stramina ministrabat, qui dum quadam vice in sublimi dicti ædificij sub tignis supra cumulum straminis staret,

staret , & gradum stationis minimè observaret , labi cæperat de ex- celso & per tres trabium situationes pro tribus fiendis lobis unum super alium casum faciens in terram cecidit , & corpore prorsus illæ- sus apparuit , postquam verò uno die ob conceptum timorem baculo in- nixus incesserat , deinde sanus factus ad pristina opera perficienda latus accessit . Mira res , non tamen in oculis Domini omnia opti- mè disponentis , quia nisi prædictus Frater divinitus fuisset custodi- tus , utique super unam de multis trabibus , per quas ceciderat , ad ex- tinctionem vitæ cecidisset , quodsi per dictum casum non statim mortuus fuisset , tamen debilis , & inutilis factus esset . Audia- tur nunc quomodo à Domino DEO fuerit custoditus . Dixerat nam- que supradictus Frater , quoddam dum jam labi cæpisset , S. MEINULPHUM invocasset . Opium & optimum Patronum , qui fidelem servum suum Conreparatorem sui Monasterij , quem ad hoc deputaverat , apud DEUM sua pia intercessione maximè , quia in necessitate sua eundem invocaverat , à morte præservavit .

## C A P U T L I V.

### *De Mortuo , qui per intercessionem B. Meinulphi est resuscitatus .*

**I**N distrito Castrorum Wewelsburg Colonus quidam habitaverat nomi- ne Conradus Mölners , qui quadam infirmitate tactus in ægritu- dinis lecto communi morte finem vitæ fecit , & dum mortuus fuerat , luctus & planctus uxoris ejus , & filiorum ( prout natu- rale est ) subsequebatur , vicinique & vicinæ citius occurrentes cum dolentibus compassionis dolorem de morte sibi cohabitantis multum dilecti viri habuerunt . Et quando idem Conradus evidentibus signis mortuus dicebatur ab astantibus , & illi quorum intererat , ut corpus defuncti de lecto supra domus pavimentum ( sicut moris erat ) depo- nere laborabant , casu supervenit defuncti Soror de civitate Pader- bornensi nomine Adelheidis , & intelligens hæc , quia Fratrem ejus jam defunctum de lecto in terram ponere laborarent , velocissimè ac- cessit , & ambabus brachijs circumcingens defunctum Fratrem valida voce erupit in hæc verba : *Nolite quæso nolite hunc de lecto tollere , non enim*

*mor-*

*mortuus est sed vivit ; & invocans sanctum MEINULPHUM ita loquebatur : Sancte Meinulphe rogo te , ut sicut aliquando lachrymantis Canonisse tui Monasterij in cineres redactum peplum per tuas preces reddidisti , ita & nunc mortuum meum Fratrem tuis precibus ad vitam digneris revocare . Ego qualisunque etiam fuerim , spondeo me crastina die Ceream dimidij talenti tuo Altari in honorem tuum allaturam . Quia sponsione facta is , qui mortuus fuerat , visum oculorum suorum retorsit in Sororem , quod dum illa advertebat , cum gaudio magno interrogans Fratrem loquebatur in hunc modum : O amice singularis ; & ubi tu fuisti ? Respondit ille : abij ; & jam reversus sum ; vidique sanctum Meinulphum ; dixitque ei Soror : Frater votum tale , quod pro te feci ( exprimens id , quod voverat ) ad Ecclesiastem B. Meinulphi feram . Respondit , qui revixit Frater : Solve Soror , quod vorasti ; nam dum ego magis reconvalvero , peregrinationem meam ad B. Meinulphi reliquias , associatis mihi duobus , discalceatus lineisque induitus in gratiarum actionem me facturum spondeo , quod & adimplevit , & pristinæ sanitati penitus est restitutus .*

## C A P U T L V.

*De illo , qui Regulares Monasterij B. Meinulphi injuste in-  
vaserat , & in infirmitate moriens fatebatur se injuste egisse  
contra eosdem .*

**F**uit militaris nomine Albertus , qui , postquam ad magnam de-  
venerat paupertatem , nescio quo spiritu ductus Officium Mo-  
nasterij B. MEINULPHI , quod Officium in Ettelen nuincupatur ,  
impetens voluit illud hereditatis titulo possidere : quam ob-  
rem immoderatius contra predicti Monasterij Regulares agens una  
cum Fratre suo illegitimo publice infensus erat iisdem , & quid Re-  
gulares ad hoc fecerint , audiatur . Nam sicut quondam sancti Patres  
nec non & devotæ Canonissæ in eorum necessitatibus magnam in  
Dominò D E O fiduciam habentes ad orationis refugium concurre-  
bant , ita & predicti Regulares ad orationem in sua predicta necessi-  
tate tanquam ad tutissimum portum confluixerunt , siveque factum fuit ,  
quod iniurias dicti militaris adversum prememoratos Regulares

N

minime

minimè prævaleret, nam dum eorum inimicitia in longum protelarentur, pius Dominus nunquam in se confidentes derelinquere volens, imò & fortiter tacito modo pro illis pugnare, litem & controversiam finiebat: prædicto namque militari extra propriam patriam sese transferente infirmitate tacto tanquam ab exule, & peregrino finis vitæ in alia patria factus est. In agone autem constitutus coram ijs præsentibus, qui & alijs postmodum referebant, quod publicè protestatus fuisset, quod injuriam satis magnam dictis Regulæ intulisset.

## C A P U T L V I .

*De subulco damnum Canonicis Monasterij B. Meinulphi inferente, qui malo fine vitam terminavit.*

**S**ubulcus quidam in Castro Wewelsburg residens multa & magna damna Monasterio B. MEINULPHI in pascuis & pratis sèpius inferebat, & admonitus non cessavit à transgressu. Postmodum verò cùm à suis adversarijs capitur, & dum jamjamque ei mortem inferre cæperant, exclamatoriè dixit in hæc verba: *Heū heū! quod tam magnum Canonicis intulerim damnum, qui tanta bona mihi sèpibus exhibuerunt!* Ae si diceret: si damnum ijsdem non intulisse, vindictam hujus crudelis mortis non sentirem.

## C A P U T L V I I .

*Quomodo fractum genu sanatum fuit.*

**G**ertrudis filia Reneti militis de Breuken Castri Wewelsburg postquam in vestitu pompam sèculi peregerat longo tempore, licentia à strenuo suo viro petitâ, & acceptâ propter consecutionem æternorum bonorum vitam solitariam gerere cupiens Prioris Monasterij B. MEINULPHI, & ejus Conventûs consensu interveniente locum Kerchberg, quæ est filia supra dicti Monasterij, usque ad annum indefessè habitaverat, quæ dum quadam vice devotionis causâ cum devota

devota sua famula nomine Sophia Ecclesiam in Höddeken visitare vellit, contigit, ut inatinere prædicta famula in terram ruens genu suum graviter frangeret, & debilis sit effecta ad ulteriore gradum faciendum. Quod dum Gertrudis Domina ejus certò ducta indicio verum esse comperit, famulâ ejus ibidem supra terram solâ relicta veloci cursu Monasterij fores petijt, medicum vocat, ac cum eo, ut famula ejus per ipsum curaretur, ire cœpit versus locum, ubi infirmam dereliquerat: quo tempore infirma famula DEI sola jam existens, antequam Domina ejus cum medico ad eam venerat, B. Virginé Mariâ, & sanctum MEINULPHUM devotissimè imploravit, ut sanitas pristina ei redderetur, ne infirmum ejus genu ab aliquo masculo denudatum tangeretur, aut cerneretur: & Oratione facta supradicta famula spe magnâ & fiduciâ, quam ad Beatam Virginem Mariam, & S. MEINULPHUM habuit firmissimè freta, fore, ut per ipsorum piam intercessione sanitatem consequretur: & ecce Dominâ suâ unâ cum Medico Monasterij superveniente, & coram famula existente genu antea fractum nunc sanatum, & planè consolidatum reperit. Quo facto dixit famula ad Dominam suam: *Gratias DEO! jam sana facta sum ex sono* (audiverat enim validum strepitum, & sonum ad Orationem factum) *quem audivi.* At Domina interrogando dixit ei: *Jam me ad presentiam tuam superveniente sonum audivi circa te, erat ille sonus, de quo dicis, & illa respondens ait: ita dilecta Domina mea, protinusque de terra sine aliquo hominis adminiculo surgens iter, quod prædicta Domina, & sanitata ejus famula facere cœperant, frequentantes ad Ecclesiam Monasterij B. MEINULPHI cum gaudio magno pervenerunt.*

## C A P U T L V I I I .

*Quomodo Dominus Deus quorundam paupertati signo  
supervenerit manifesto.*

**Q**uia præmemoratus Venerabilis Prior in Domino DEO confidentiam habuit singularem, confidentiæ suæ remunerationem saepius meruit obtinere. Quapropter non possum, nec audeo silere illud obstupendum miraculum, quod ob magnificam

N 2

ficam

sicam prædicti Prioris confidentiam in Monasterio B. Mariæ Virginiæ propè Wormatiæ extra muros constituti , dum jam idem Monasterium reformari cæperat , contingebat . Nam quadam vice dum præmemoratus Prior circa initium präfatæ reformationis per aliquantum tempus moratus fuisset in eodem Monasterio , etiam sequenti die versus suum proprium Monasterium , quod Böddeken nuncupatur , ire se disposeret , convocatis primò in unum ibidem Fratribus singula per ipsos in ejus absentia perficienda disponebat . Quo tempore , quia hyems appropinquabat , de habendis pellicijs , quibus ingens frigus depellere possent , dictum inter illos erat . Et dum prædictus devotus Pater Authorem loci honorabilem Fratrem Bertholdum Schram de Civitate Paderbornensi oriundum interrogaret , an hujusmodi pellicea , de quibus dictum fuit , sub Fratrum expensis per ipsum habere vellet procuranda ? Rector diligentí considerationis oculo totum solutionis pondus prædictorum pellicorum sibi imminere cernens , ac paupertatem magnam tanquam pedissequam sibi & Fratribus suis adhærere respondens Priori suo dixit : *Pater potius volumus propter Deum sustinere frigus , quam debita contrahere , quæ persolvere non possemus.* Fratres de eodem interrogati responderunt : *Pater necessaria corporis nos habere utique videtur maximè necessarium , emantur nobis pellicea , & Dominus Deus suo tempore optimè providebit nobis , ut eadem solvamus.* Conclusum idcirco fuit , ut prædictus Pater de decem pelliceis ad valorem triginta florenorum deberet ijs providere . Audi nunc in DEUM confidens Frater , quid postea contigerit , & novo gaudio cordis tui DEUM in factis lauda , crastino namque die meridiano prandio in supradicto Monasterio facto , & Fratribus cum Lectione Psalmi Miserere ad Ecclesiam transeuntibus stabat in via quidam peregrinus non pretiosis indutus vestimentis , extensa manu signum dedit Rectori , ut ad eum venire properaret . Rector vero prout ipse mihi retulit , Christum in persona humili , & despœcta confiteri , ut accederet , erubuit , & gratias per Conventum dicto peregrinus desiderium suum adimplere cupiens misit nuntiū ad Rectorem supradictum , factum itaque fuit , ut qui antea verecundiâ non bonâ permotus präfatum peregrinum propter multitudinem tunc præsentem despexit visitare , nunc quodammodo compulsus ac se humilians assumpto sibi Venerabili supradicto Patre simul prädictum accesserunt

pere-

peregrinum , qui salutatione facta inter cætera , quæ faciebat verba , ita ijs loquebatur : *Domini Domini mihi charissimi , peregrinus sum , ut habitus meus testatur , & singularem peregrinationem jam sum facturus , habeo autem triginta florenos penes me , rogo ut illos à me recipiatis in depositum , quod si reversus ad vos non fuero , prædicti floreni ad usus vestros permanebunt , immo donabuntur . Florenos acceperunt , & qui pridem despectus illis videbatur , ad secum prandendum invitatus , ac prandio finitò peregrinationem , quam prædixerat , abiens cæpit attentare , ut perficeret , nec post discessum suum ad prædictos Fratres est reversus . O Divinæ pietatis dispositionem ! O magnificum DEI donum ! supradicti Fratres pelliceis propter depellendum frigus indigebant , pecunijs pro his solvendis carebant , non tamen sine Divini nutûs dispositione conclusum fuit , ut pro certa & expressa pecuniarum summa , vide licet pro triginta florenis , deberent eis pellicea comparari . Nam Dominus DEUS noverat ; quomodo Fratribus firmiter in eum sperantibus voluit subvenire . Nonne crastina die de pecunijs providebat , cum quibus prædicta pellicea pensolverentur ? Miserat namque proprium suum peregrinum , prout antea dictum est , qui præcisè tot florenos apportarat , quot pro prædictis pelliceis erant exponendi . Firmum teneo atque credo , si prædicti pauperes Fratres in Dominum DEUM multùm confidentes , majorem summam eodem tempore pro suis necessitatibus ordinâssent , illam utique supradictus peregrinus apportâsset , & quis dubitaret , eundem peregrinum ad hoc divinitus ordinatum , ut adveniens paupertati Fratrum , qui circa initium reformationis prædicti Monasterij temporalium defectu premebantur , subveniret ? Quis namque in Dominum DEUM speravit , & confusus est ? Certè nullus .*

## C A P U T L I X .

*De eo , qui mutuavit proximo , & viceversa donum  
DE I sensit .*

**N**unc dicendum restat , quid solatij , quidve Divinæ operationis supradictus devotus Prior expertus fuerit circa devotarum suarum Sororum Congregationem in Volkmaria . Accidie namque , ut humilis , ac devota Mater Sororum in Volkmaria quodam

quodam tempore necessitate eam ad hoc compellente præfatū Patrem Monasterij B. MEINULPHI visitaret, elque exponens, quod non exiguum defectum ipsa, & Sorores ejus in temporalibus necessarijs sustinent, quapropter humiliter illa eum precabatur, quatenus triginta florenos sibi concedere dignaretur, ut sic saltem necessitates, quibus premerentur, possent mitigare. Prior verò, cui non mediocris cura, & temporalium provisio ob amplam suam familiam imminebat, sibi dictos florenos concedere denegavit. At supradicta devota Mater nequaquam negationi Prioris cedens, more Cananeæ mulieris iterum atque iterum sibi hujusmodi florenos mutuari expetivit. Tandem idem Prior misericordiā, & humili petitione permotus tantum viginti florenos ipsis mutuavit ad tempus, & ecce Dominus DEUS volens prædicto Priori pietatis opus, quod mutuando perfecerat, sibi recompensare, ex sua magna pietate, & ordinatione mirabili dispositum erat, ut eadem die, qua præmemoratus Prior viginti florenos devotæ dictæ Matri mutuum dederat, supervenit quædam Sæcularis mulier, quæ eidem Priori viginti florenos contulit, & donavit dicens: quod triginta florenos debuisset apportasse, sed aliud intervenisset, propter quod reliquos decem minimè apportaret; quæ verba præfatus Prior considerans stupore, & dolore perfusus, manu validè pectus percutiens loquebatur in hæc verba: *O utinam supradictæ devotæ Matri triginta florenos concessissim, & nunc absque dubio illo hæc alia Mulier à foris superveniens triginta florenos mihi donasset.* O mirabilis sententia DEI permittentis, quod eâdem mensurâ, quâ alijs mensi fuerimus, remetietur nobis! quapropter, qui ob dilectionem Dei ausi sunt proximis in necessitatibus suis non solum necessaria mutuare, sed & donare, ut ipse eloquendò præcipit: *date, & dabitur vobis,* absque ulla dubitatio-ne mensuram condignam cum merito charitatis ab eodem recipere promerentur.

## C A P U T . L X .

### *De oblocutore Devotarum Sororum in Volkmaria,*

**E**T quia materia satls solatioſa supradictæ Congregationis in Volkmaria producta nunc allata fuit, audiatur & nunc quoddam satls horribile, quod cuidam Sacerdoti oblocutori, ac persecutori Sororum prædictæ Congregationis manifestè acciderit.

Erat

Erat enim quidam Sacellanus in *Volkmaria Diæcesis* Moguntiensis nomine *Rolandus*, qui nescio quo spiritu ductus Sorores supradictas in oppido dicto verbis detractorijs multum molestavit: quod dum aliquantulum propter majus prædictarum Sororum meritum protelatum fuit, & pius Dominus dictæ detractioni finem imponere volens, & malitiam Sacellani refrænare, contigit quadam vice eundem Sacellananum stare in Ambone, ut populo prædicaret, & quia in eadem prædicatione præfatas Sorores confundere intendebat, proterva voce eas specialiter nominans ad populum loquebatur in hæc verba: *Cavete vobis ab his, qui ad vos veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, & quales dicta Sorores in vita fuerint, post septem dies immediatè sequentes vobis in sermone meo faciam manifestum.* Quibus verbis à se prolati mutus, & elinguis factus est in ambone, & loquinesciens enī maxima confusione à sermone abstinentis descendit, & abiit: sicque judicio DEI factum est, ut qui alijs injustam confusione inferre laboravit, ipsi justissimè confusionem maximam Dominus DEUS coram omni populo immisit. Etiam quia ejusdem Sacellani peccatum, quod in supradictas Sorores commiserat, forsan nondum ad perfectum per prædictam confusionem purgatum fuit, accedit ergo, quod post eandem suam confusionem demeritis ipsius exigentibus captus, & incarceratus fuerit, nec inde emissus, nisi per supplicationes, revocationes, & sponsiones suorum amicorum. Prædictum horribile factum omnes hi advertant, qui Religiosis aut devotis Personis detrahere non verentur, & ne supradictam confusionem aut etiam majorem sustinere cogantur, præmemoratis Personis nequaquam sint molesti.

## C A P U T L X I .

*De quodam gaudioso miraculo, quod accidit Priori  
supradicto.*

**A**udiatur adhuc aliud satis mirabile factum, quod Dominus DEUS operatus est circa Priorem supradictum; quodam namque tempore idem Prior devotam Sororum Congregationem in oppido Lippiensi, cuius ipse & ejus successores quemadmodum

modum & domus devotæ Congregationis, dum adhuc incolerunt, in Volkmaria Visitatores & Rectores fuerunt, & adhuc sunt) visitavit. Et ecce propter Divinum opus perficiendum in eodem loco ibidem idem Prior pestilentiali tempore aposthemate percutitur, & ita quidem, ut lecto decumbens graves infirmitatis molestias sustineret. At ille Venerabilis Prior, cuius in omni necessitate ad Dominum DEUM securum semper refugium erat, ibidem celeriter pro sua sanitate recipienda exoravit. Insuper & devotis Sororibus ejusdem Congregationis pro ejusdem sanitate recipienda præces imposuit persolventas, similiter & ipsis imposuit, ut pro ejus sanitate reciperent disciplinam: quibus omnibus jam peractis aposthema Venerabilis Prioris rumpebatur, surrexitque sanus laudans DEUM de sanitate nunc recepta.

## C A P U T L X I I .

### *De miraculo satis horrendo.*

**A**udiatur nunc Miraculum satis horrendum. Erat quidam militaris Diæesis Coloniensis, qui Monasterium B. MEINULPHI aliquibus vaccis suis spoliavit, Fratres verò prædicti Monasterij spolium præfatum insequentes, ut ablatas vaccas restitueret, enixe petierunt, sed raptor eorum petitioni minimè acquiescens, post modicum temporis spatium supradictas vaccas matari festinavit, quibus interfectis, dum per incisionem pro ejcendis intestinis aperirentur, ex earum corporibus vituli tanquam nullius apti in terram foras ejiciebantur; Et ecce! surgentes veloci cursu projecti vituli hinc inde contra naturæ statum discurrerunt, vitu-  
lorumque mugitus dare non cessarunt: nec suffecit hoc miraculum, nisi & majus sequeretur, nam lotio, qua carnes earundem vaccarum purgatae erant, fossis, quibus Castrum prædicti militaris munitum erat, cùm influeret, aquam, quæ in fossis continebatur, in speciem coagulati sanguinis permutavit, familiares, amici & cognati fossas Castrum undique plenas sanguine prospicientes horrore percussi Domum Castrum, scilicet vaccarum spoliatorem, accedentes horrendum illud,

illud, quod factum erat, ei referebant, qui dum oculorum visum ad fossas Castris flecteret, videreturque eas sanguine redundare, timere cœpit vehementer, & non solum de transgressu dolens, sed etsi tale horrendum visu circa Castrum suum immutatum permaneret, confusione dignus propter dictum spolium coram omni populo notaretur: sed unus de Ministris suis santo consilio præventus Domino suo loquitur In hæc verba: *Per amande Domicelle, si à præsenti confusione, qua dominationem involvit, penitus voluerit liberari, consultum videtur, ut opinor, quod ad persolvendas vaccas, quas à Monasterio B. Meinulphi rapuit Dominatione vestra, statim votum faciat; qui miserijs undique circumcinctus serioso animo votum, quod consultum fuit, fecit absque mora: quod factum sanguinea aqua, qua fossæ Castris replebantur pristinam speciem aquæ recepit.* At Domicellus sanguinem in aquam nunc versum cerniens, sequitur à populari confusione liberatum, prædicti Monasterij Regulares cum gaudio ad se vocans ipsis, prout justum erat, de rapina satisfecit. Hic attendant universi, quod prædictas Militaris ex eo, quod Monasterium B. MEINULPHI spoliaverat, licet de eodem spolio satisficerit, tantum tamen confusionis plagam percussus fuit in hoc mundo; quanta ergo putas confusione plectendus erit, qui spoliator extitit hujus Monasterij nec in hac vita satisfecit, cum hujus Monasterij invasores, & raptore vindictam non evadant.

## C A P U T L X I I I ,

### *De Miraculo circa spoliatorem quendam facto.*

**Q**uidam raptore supervenientes quasdam vaccas Monasterij B. MEINULPHI circa suum grangium Gellinghausen nuncupatum in pascuis absque pastore circumvagantes invenierunt, has nullo obstante per modum rapinæ auferentes ad oppidum Gesike adduxerunt. Postquam vero manifestum factum fuit, supra dictas vaccas Monasterio B. MEINULPHI fore, nullus ausus erat mittere manus, ut maestarentur; tandem unus, qui frivulus & presumptuosus videbatur, DEI timore postposito accessit intrepidus, vaccasque interfecit. Quod factum viribus suis in tantum destitutus fuit, ut le-

O

ctum

Etum peteret ægritudinis, ibique ad breve temporis spatium decumbens in talem incidit paupertatem, ut uxor ejus ad portam supradicti Monasterij veniens culpam viri sui detexerit, eleemosynamque sibi & viro suo, justo DEI iudicio depauperato, à portario ministrari rogaverit.

## C A P U T L X I V .

*De alio spoliatore,*

**M**ilitaris quidam de Castro *Stormede* propè oppidum *Geseke* situato Monasterium B. *MEINULPHI* aliquibus suis vaccis de Grangio suo *Graffen* spoliavit, quo factō corporali sanitate privatus hydropicum morbum incidit, ac per illum vitam suam satis miserabiliter terminavit.

## C A P U T L X V .

*De septimo Priore Monasterij B, Meinulphi,*

**S**upradicto Venerabili Prlore in vita sua existente, cùm jam præsenectute, ac multis sollicitudinibus, quibus se in vinea Domini multipliciter fatigaverat, ad amplius regendum inhabilis factus esset, humiliter petiit, ut absolutionem à suo Prioratu recipere mereretur. Quô factō, sicut gloriosus Hieronymus devotum Eusebium unum ex discipulis suis ad regendum suos Fratres post se dereliquit, ita Domino DEO disponente Frater *Arnoldus de Holde* humilis ac DEO devotus unus ex supra dicti Patris discipulis ei in regmine successit, qui dum electus, & confirmatus fuit, & à foris vide licet à Prioratu Domus S. Dyonisi in *Mollenbeke* rite & legitimè vocatus, jam jamque B. *MEINULPHI* Monasterium ingredeleretur, & Venerabilis prædictus Prior præcessor suus me præsente id audiret, quamquam senex, & omnino debilis extiterit, debilitate tamen suâ neglegēta velut de gravi somno evigilans concito gradu unā cum devoto Fratre *Joanne de Lippia* gressus ejus observante novo Priori occurre.

re

re festinavit: cùmque ad ipsum jam pèvenissent, in amplexus ejus illicò ruit, & non solum brachijs corporis, sed & magnæ charitatis corpus ejus circumstrinxit. Speraverat namquæ, quòd Monasterium suum B. MEINULPHI, quod tot laboribus ad disciplinarem vitam instituerat, jam pèroptime regi deberet. Qui dum jam regere cæperat, ut prædecessorem suum saltem in aliquo suo virtuoso opere sequeretur, à spiritualibus incipiens in quinque primis Regiminis sui annis Clericos decem Religioni aptos magna cum lætitia investivit, sicque Fratrum multitudinem habens aliud charitatis opus, quod supradictus antecessor inchoaverat, è vicino efficere festinavit. Nam Divina ordinatione hoc agente mittuntur litteræ, à quodam Milite, ut Monasterium dictum *Truttenhäuser* propè Argentinam Ordinis sancti Augustini Canonicorum Regularium per præmemoratum Priorē ad reformatum acceptetur; quibus litteris sic transmissis, non longo tempore post hōc transacto Superior Prælatus Monasterij Prior Windesemensis tales prædicto Venerabili Priori litteras misit, ut supradictum Monasterium à Fratribus suis per inhabitationem occuparetur: qui singulis attente, & diligenter consideratis animo deliberato circumspectum Virum nomine *Joannem Saxonem* ad Religiosum Priorem *Horii Virginis Gloriosa* propè Wormatiā nomine *Bertholdum* festinanter transmisit. Hi duo similiter ad prædictum Monasterium pergentes singula, quæ pro pace, & tranquillitate dicti Monasterij statūs in futurum esse possent, & ab Episcopo Argentinensi, ejusque Capitulo, & Dominis illius terræ, in quorum territorio idem Monasterium situatum fuit, sigillatis litteris impetrarunt; quòd factō Fratres suos illuc misit ad inhabitandum. Insuper, quia Venerabilis senex, Prior præsentis devoti Prioris antecessor ex fructuosa, & fertili vinea, quæ in Monasterio B. MEINULPHI est plantata, partem meridionalem, occidentalem, & aquilonarem in Monasteriorum reformatione illustraverat, prout hīc supra dictum est, jam ut præmemorata vinea etiam Orientalem utiliter ac fructuose plagam occuparet, idcirco ante dictus Venerabilis Prior, videlicet *Arnoldus de Holte*, multis suis laboribus, nec non & expensis in augmentum Divini Cultūs ad humilium precum Reverendi Archi-Episcopi Magdeburgensis instantiam, Monasterium suæ Diæcesis *Novum Opus* nuncupatum, & propè oppidum *Halle* situm de consensu speciali Capituli

O 2

Win-

Windesemensis ad hoc convocati acceptavit, ut ex suis Fratribus ritè ac legitimè Prælatō pro supradicto reformando Monasterio jam electō, hunc cum nonnullis devotis ac disciplinatis sui Monasterij Fratribus, non veritus periculosum discrimen nec itineris longitudinem & difficultatem, eidem Monasterio humiliter, prout decuit, præsentavit.



## P A R S IV.

*Miracula, quæ per intercessionem Beati Melchiori sub septimo Priore prædicti Monasterij Arnaldo de Holte contingebant, & ista sunt, que hic sequuntur.*

## C A P U T I.

**A**nno Incarnationis Domini M. CCCCXLIX. primō anno, quo Venerabilis Prior Arnoldus de Holte Monasterium B. Melchiori in Böddeken regere cæperat, quidam Militaris Monasterium ovibus suis spoliavit. Procurator verò ejusdem Monasterij cùm nonnullis alijs Fratribus, & Laicis ad hoc sibi deputatis spolium cum mærore insequebantur. Qui dum ante Castrum dicti Militaris venerunt, ibidem oves suas horribili strage jugulari videbant: servus etiam dicti Castrī, qui jugulabat, præfato Procuratori stomachosiori ac superbissimō animō loquebatur in hæc verba: *Fama est, & dicitur, quod qui comedérat de spoliatis quibuscumque à vestro Monasterio, ille infra eundem annum, quo comedérat, morietur, & subdens ajebat: & ego ex illis à vobis spoliatis comedam, experturus quid contrarietatis mibi ob hoc evenire possit.* De ovibus comedit, & ecce paucis diebus post hoc transactis, ille qui supra dicta verba in insipientia sua loquebatur, iter ad campum pro colligendis fænis faciens, cùm ad locum pervenerat, in quo operari intendebat, tam gravis infirmitas eum oppressit, ut cùm vehiculo ad oppidum Winnenberg, unde venerat, duce-

duceretur, sicque factum fuit, ut qui robusto, ac juvenili corpore exierat, inutilis factus sit, pedibus incedere non valens, jam jamque super terram rependo cum suis pedibus miserabiliter ad totam vitam cum sua maxima confusione extiterit; Idem etiam vir non solum claudus & inutilis factus fuit, sed ita depauperatus, ut uxor ejus in miseria paupertatis suæ à Procuratore dicti Monasterij remissionem petierit; supradictus insuper Militaris, qui præmemoratum spolium fecerat, non impunè abivit, etenim post dictam spoliationem elegantissimus & fortissimus de caballis suis subitanea morte extinguebatur.]

## C A P U T II.

*Sacerdos infirmus intercessione B., Meinulphi convalescit.*

**E**rat quidam devotus Sacerdos oppidi *Geseke*, qui habebat singularem devotionem ad B. MEINULPHUM, & ob hanc causam habebat in Breviario suo Suffragium de eodem, quod consueverat ad honorem ejus quotidie persolvere. Contigit verò ob causam, quam DEUS tantum novit, ut idem quasi amens factus à suis parentibus die ac nocte custodiretur, aliqui etiam Sacerdotes oppidi *Geseke* Breviarium ejus, ne ex horarum suarum Lectione, quia modò debilis capite erat, totus furibundus redderetur, clandestinè abstulerunt; tamen quia B. MEINULPHO prædictus infirmus Sacerdos in precibus suis solitus erat inservire, per ejus piam intercessionem apud DEUM miserendi tempus advenit; nam nocte quadam præsentibus suis eum custodientibus, soinno autem oppressis, surrexit Sacerdos & abivit, & de quodam angulo juxta focum Breviarium suum extra hens aperuit, & orationis Suffragium de B. MEINULPHO persolvit, quo facto suorum sensum cæperat resumere sanitatem, post hoc cùm eadem cæpta sanitas aliquale habuit incrementum, qui eam per intercessionem B. MEINULPHI sibi adesse novit, tale votum fecit, ut vellet (quod etiam adimplevit, & sanus in suis sensibus factus permansit) cum duobus Sacerdotibus sibi sociatis sacras ejus reliquias in gratiarum actionem visitare.

O 3

CAPUT

## C A P U T III.

*De eo, qui incendit sacrum locum, & postea damnum  
ignis pertulit.*

**Q**uodam tempore postquam Venerabilis Prior Monasterij B. MEINULPHI Cæmeterium Sacelli B. Antonij in Graffen, quæ filia est Parochiæ Monasterij dicti, sepè muniri fecit, filius cuiusdam Militaris non remotè à dicto Monasterio habitantis, nescio quo frivolo spiritu ductus, ausu temerario una cum suis accessit servis, ignem supposuit, præfatamque sepem ut in cineres verteretur, incendebat. Fratribus supra dicti Monasterij eodem tempore circa frumentorum collectionem in vicino laborantibus festinanter, ut incensum ignem extinguerent, accurrentibus, dicti incensores sub gravi comminatione, ne incendium extinguerent, prohibebant. Unus autem è Fratribus nomine Fridericus, cui major justitiae Zelus præ cæteris inerat, nec ferre valens, quod minus justè factum fuerat, ad extinguendum præmemoratum ignem suas extenit manus, & ab uno servorum lanceâ graviter vulnerabatur; & quia eidem Monasterij Fratres resistere malitiæ non valebant, seps plurima ex parte combusta est, quod incendium dicti Fratres auxiliò, & numerò deficientes maximo cum inærore animi sui intuebantur. Sed pius Dominus tristum optimus Consolator de occidentali plaga pluviam repente excitavit, quæ incendium omnino extinxit. Audisti jam de seipsis combustionē nefariè circa filiam Parochiæ B. MEINULPHI factam, audiatur & nunc de horribili combustionē, quæ brevi temporis intervallo sequebatur, & quia nullum malum impunitum manet, ideo post mensem unum, quo prædictum temerarium incendium factum fuit, contigit, Domino DÉO justè permittente, quod non solum prædicti incensoris seps circa Castrum suum per incendium ab inimicis illatum absumeretur sed etiam & horrea sua frumentis plena cum omnibus villæ sue ædificijs & frumentis una ferè horâ, me vidente, in cinerem redacta sint. Ita contigit, ut is, qui de incendio dicti Cæmeterij multum gaudens exultabat,

jam

jam ædificia sua suæque villæ justo DEI judicio comburi cernens maximis doloribus afficiebatur, atque opprimebatur.

## C A P U T IV.

### *Persequens Monasterium B. Meinulphi de cælo punitur.*

**A**DLaudem, & honorem Omnipotens DEI, Genitricisque ejus gloriose Virginis Mariæ, ac B. MEINULPHI Confessoris miraculum circa Beati MEINULPHI Monasterium factum cunctis palam facere me delectat. Anno Incarnationis Domini M. CCCCCLIII. ipso die Ascensionis Domini temporibus, quibus bellum & seditiones inter Militares, qui *Westphali* nominantur, ex una parte, ex altera parte inter Militares, qui *Brenckenses* nuncupantur, gerebantur, ijdem *Westphali*, nescio ob quam causam unâ cum Canonico quodam Ecclesiae Paderbornensis, ac alio præcipuo Militari litteras dissidentiæ ad nostrum Monasterium B. MEINULPHI transmisserunt, quod cùm cuidam devoto Laico manifestatum, ad genua se prosternens ter *Pater* & *Ave* devotè in istum finem persolvit, ut Dominus DEUS inhabitantibus dictum Monasterium de præfata comminatione litteratoria suam misericordiam tribuere dignaretur, daréique signum, quo & ijdem adversarij, qui prædictas litteras miserant, secundum intentionis propositum non peccarent, & dictos Regulares in pace relinquenter. Dum hæ litteræ Venerabili Priori tempore, quo se pro summa Missa celebranda præparabat, præsentæ fuerunt, ante aperitionem tristitia quâdam obruebatur, sed Deus servum suum nolens inconsolatum relinquere contigit, ut dum in Offertorio Missæ tunc temporis decantandæ hoc complexum: *Dominus in voce tuba* alacriter à Fratribus cantaretur, dictus Prior non leve solarium de concepta tristitia recipere merebatur, nam sicut in die Ascensionis Domini omnes Angeli quasi tubali voce, & quodammodo increpatoria Apostolis loquebantur, ita vox auditu satis perhorrenda, acsi prædictos corripere vellet adversarios, de excelso intonuit. Eodem die prandiò per Conventum jam peractò, & Canonicò, qui antè dictas litteras miserat, cum nonnullis in itinere equitante

tante ( licet nulla aeris inclemensia appareret ) attamen tonitrua valde terribilia , quorum simile vix unquam a me aut ab alijs auditum fuit, insonuerunt , quod tonitru suu vehementia superveniens unum de caballis illius Militaris , qui Westphalorum præcipius habebatur , cum sessor suo in terram prosternebat caballum velociter interfecit , lancea vero , quam sessor dicti caballi post Domnum consueto more duxit , in subtilissimum pulvrem comminuebatur : quo peracto dictus Canonicus mitius præ ceteris in comminationum litteris scribens , mitius etiam in horribili facto secum actum fuisse expertus est ; nam licet ejus caballi periculum mortis evaserint , tamen in tantum debilitati sunt , ut gressum facere non valuerint ; tertius , qui litteras dicto Monasterio transmisit , post hoc horribile factum de caballo cecidit , brachiūmque fregit . His explicatis audiatur nunc consolatio Prioris supradicti . Etenim Westphali visis tot miraculis tanto timore percussi erant , ut nuntium ad dictum Priorem mitterent , ut eos accedere dignaretur humiliter petentes ; qui dum ad eos jam pervenerat , non exiguam humanitatem eidem exhibentes pacem inter ipsos , & Monasterium B. MEINULPHI firmiter se observatuos promittebant , quod & factum fuit , quia non solùm supradicti Westphali , sed etiam Brenekenes ob præfatum horrendum factum manu violenta dictum Monasterium invadere metuerunt , ne similis aut major vindicta de cælis super illos eveniret , & idcirco tam firmum pacis fædus inter illos sanctum fuit , ut ne quidem jumenta illorum , ut antea factum erat , raperent , aut rapi permitterent ; postquam autem præfata pax per dictos Westphalos , & eorum adjutores in Monasterio B. MEINULPHI oretenus expressa fuit , ecce tres caballi , de quorum ulteriori sanitate desperatum erat , pristinam sanitatem receperunt .

## C A P U T V.

*De muliere , qua tempore , quo Regulares persequebatur ,  
infirma facta mortua est*

**C**uiusdam Militaris uxori quadam vice minùs rationabiliter super Canonicos Regulares Monasterij B. MEINULPHI graviter turbabatur ; Hoc dum Subprior Monasterij B. MEINULPHI nomine

mine *Hermannus* in absentia sui Prioris perceperat, timens ne ex parvis magna damna dicto Monasterio evenirent, me in socium sibi assumpto accessit mulierem, sed heu post nostra cum ipsa facta colloquia (quia terra quodammodo indurata imbre non fuscipit) eandem à sua durtia nequivimus coercere, nec mitigare dictam mulierem, deinde B. MEINULPHUS ad ulciscendum se de adversariis Fratrum sui Monasterij cuidam devotæ personæ auratus apparebat, circa præfatæ visionis tempus prædicta mulier virum suum ac filium contra dictum Monasterium incitaverat, de quo non exigua turbatio Regularibus fuit exorta, & cum jam de Castro, quod & ipsa inhabitaverat, ad unum de vicinis propè Castrum habitantem descenderet, & multa comminatoria, & injusta verba in supra dictos Regulares loqueretur, ab hujusmodi stultiloquio compesci non potuit, ignorans, quod pæna in malo suo perdurantem sequeretur; nempe illam, quam eadem ejus vicina à suo stultiloquio compescere nequivit, ut cessaret ab incæptis temerarijs verbis, & propositis, pius Dominus, qui frenimenti mari terminum suum ponit, quem transgredi nequaquam vallet, os ejus celeriter refrænavit, nam quā citō ad Castrum à prædicta sua vicina reversa fuerat, hydroptica pestis tam graviter eam oppressit, ut deinceps ab eodem Castro suo ne vel pedem ponere potuerit, & ingravescente morbo vitam suam (prout illis moris est, qui B. MEINULPHI domum minus justè persequuntur) miserabiliter terminavit.

## C A P U T VI.

*Infirmitate prolongatio vitæ petebatur, & petitio ex iudita est.*

**A**D honorem B. MEINULPHI Levitæ Christi audiatur subsequens miraculum, quod ejus pia intercessione apud DEUM accidisse creditur. Anno incarnationis Domini M. CCCCLV. ipso die B. Luciae Virginis Colonus quidam nomine *Hermannus Thoeniges* inhabitator villæ *Breneken* Domino DEO pie disponente improvisè, & subitanè infirmabatur; quia infirmitate perdurante agonizans putabatur, & quia pastor villæ *Breneken* pro quodam negotio

P

Pader-

Paderbornæ tunc temporis morabatur, idecirco hi, qui præmemorati infirmi singularem curam gerere videbantur, timuerunt eundem infirmum absque Ecclesiæ Sacramentis ab hac vita migraturum. Sed quid factum fuerit audiatur: nam ille infirmus (quia sanus in vita sua B. MEINULPHUM præcipue honoravit) jam in infirmitate constitutus meruit, ut quædam mulier in lecto ægritudinis suæ assistens divinitus inspirata S. MEINULPHUM sic invocans exorabat: ut prædicto infirmo saltem suis precibus tamdiu apud DEUM vitam suam prolongare mereretur, donec Ecclesiæ Sacraenta susciperet; qua invocatione facta dictus infirmus de infirmitate sua levius se habere sentiens in DEO lætabatur, amici tamen, & consanguinei ejus de tali virium suarum aliquali resumptione minus contenti volentes eum securum esse per munitionem Ecclesiæ Sacramentorum, nuntium ad viciniorum Parochiam, videlicet ad oppidum Byren, mittentes Sacellatum in dicto necessitatis articulo ad se venire petunt, qui nuntio negotium sibi exponente celeriter ad infirmum visitandum properavit, ab illo jam coram infirmo præsente de Venerabili Sacramento provisum est infirmo, quibus sic Ecclesiastico more peractis dicto Sacellano adhuc præsente infirmus migravit ad Dominum, & quis non crederet, quod infirmo dicto meritis B. MEINULPHI impetratum fuerit, ut in infirmitate constitutus antea mori non potuisset, nisi Venerabile Sacramentum susciperet.

## C A P U T VII.

*Quomodo erecta ædificia ex lignis quodam modo minus justè acquisitis per incendium in cineres sint redacta.*

**E**rat Militaris quisdam in Hiddesen propè Villam Herberamen, qui hominibus redditus annuos jure debitos ad Monasterium B. MEINULPHI deportare volentibus inhibuit, & omni arte, & astutia bona & redditus sibi donari allaboravit, quinimò dictos Regulares quodammodo coëgit, ut agros & sylvam ad dictos Regulares pertinentes pro paucis nummis ipsi reliquerint. Quapropter Militaris hæc iniquè sibi adscribens in dicta Villa Herberamen novum

vum extruxit Castrum, illudque amplis & profundis fossis munivit, quia autem nullum malum impunitum manet, inimici Militaris dicti nocte quadam supervenientes Castrum cum annexa villa injustè acquisitum per incendium in cineres redigerunt. Sicque factum fuit, ut qui antea de bonis minus justè acquisitis lætabatur, jam Castrum suum cum villa flammis absumptum videns vehementer doluerit.

## C A P U T VIII.

*De Fratre, qui, quod concupivit, accipere promeruit.*

**I**N Grangio Monasterij B. MEINULPHI, quod vulgariter lingua Findele nuncupatur, nonnunquam devotus Frater nomine Rötgerus praediti Monasterij Conventualis ex ordinatione sui Venerabilis Prioris ad tempus habitavit, qui, quia à suo Conventu sèpius aberat, humano more tentatione devictus mutonis carnibus cum Fratribus suis in Refectorio Monasterij vesci cupivit. Quid contingit? sequenti die cum sol jam oriri cæperat, ac portarius praediti grangij portam aperiret, mutonem foris ante januam reperit quiescentem; hunc gaudens tanquam miraculosè transmissum grangio introduxit, ac illo per coquum interfecto ac mactato, dictus Frater, qui de mutonis carnibus edere concupivit, non solum ad sufficien- tiam se refecit, sed & omnes supra dictum inhabitantes grangium cum gaudio cibavit.

## C A P U T IX.

*Ligna Regularium devastans factus est claudus circa devastationem.*

**E**RAT quidam inhabitator Castrorum Wewelsburg nomine Petrus, qui, quia DEUM minime timuit, Canonicorum Regularium Monasterij B. MEINULPHI sylvam introgressus in ea ligna quercina sub defensione domicolorum dicti Castrorum securi abscidit, ac ea ab emptoribus abduci fecit, quod damnosum factum dicti Regu-

lares ad sui Monasterij detrimentum æquō animō justē perferre non volentes sæpius eorundem lignorum abscissorem inculpabant admonentes , ut desisteret sua ligna devastare. Sed heu ad piæ admonitionis vocem aures occludens exaudire noluit admonentes. Et dum ijdem Regulares sæpius inculpassent, à supradicta villa illum coercere non valebant , sed Dominus D E U S Judex justus eum ab eadem sylva penitus eliminavit & exclusit , nam cùm die quadam dictam sylvam ingredere retur , ut in ea ligna secata , & resecanda cum vecturis abduceret , contigit , quod idem vir arborem quandam inferius abscessam superiùs alteri arbori ramis suis implexam de loco suo movere laborabat , improvisè cadens eundem oppressit , sub tali arbore magnis in doloribus , & corporis vitæ amittendæ præsentissimo periculo gemens , nec se ullo modo juvare valens in eadem gravissimæ pænæ pressura ad duos dies , & unam noctem absque ulla corporis refectione & humana consolatione permanebat. Tandem dum idem lignorum incisor consueto post sylvaticum suum laborem domum revertebatur , per sylvam diu inquisitus in miserijs inveniebatur , hi verò qui eundem ita arbore oppressum invenerunt , omni modo suppositam arborem amoventes in domum suam debilem & claudum reduxerunt.



APPEN-



## APPENDIX.

*Quorundam Authorum de statu Monasterij Böddecensis  
& Congregationis Windesheimensis tam veteri quam  
moderno testimonia.*

N. I.

*Testimonium P. R.D. P. Edmundi Marthenne, Benedictini  
e Congregazione S. Mauri.*

**P**R. D. P. Edmundus Marthenne scriptor celeberrimus in suo *Itinerario Litterario* 1724. Parisijs Gallicè edito, folio 246. sic habet: Monasterium Böddeken tribus milliaribus Paderborno dissitum undique squallida solitudine, sylvis, & montibus cingitur. Initio erat Abbatia Monialium Benedictinarum fundata a S. MEINULPHO Diacono, cuius corpus etiamnum ibidem magna populorum Religione colitur. Postmodum cum Moniales relaxarent Institutum Monasticum, nomenque assumerent Canonissarum Sacerularium, eo increvit morum dissolutio, ut ab Episcopo Paderbornensi suppressæ, & earum loco Canonici Regulares Congregationis Windesheimensis introducti sint. Numerus Regularium in uno Monasterio Böddecensi intra breve temporis spatium auctus est ad centum quinquaginta; tantaque pietatis fama dimanavit per inferiorem Germaniam, ut Monasterium præfatum viginti septem aliorum Monasteriorum communem disciplinam recipientium caput evaserit. Etiamnum ibidem asservantur vitæ septem Priorum seu Præpositorum, qui primi præfuerant, tantam spirantes sanctitatem morum, ut vehementer admirer tamdiu sub modio relicta esse tam præclara lumina, quæ haud dubiè copiosos ederent fructus, si proferrentur in publicum. Prior, qui hodieum præst, jure merito accenseretur candelaborum illorum aureorum septennario: habetur communiter

ter pro sancto , ac plerumque totum antemeridianum tempus pre-  
ca-  
tionibus in Ecclesia consumit , ac certè videbatur nobis vir inge-  
nis meriti , nec sine magna ædificatione exinde recessimus . Retinuit  
nos per biduum , ac monstravit nobis singulari humanitate suam  
Bibliothecam , quæ in illa Provincia habetur pro ditissima in Ma-  
nuscriptis Codicibus . Inter ista Manuscripta eminent duodecim  
Tomi in folio majoris formæ , quorum quilibet continet Vitas San-  
ctorum pro uno mense . Hæc collectio est omnium amplissima &  
completissima , quas unquam vidi . Dicitur , Jesuitas Antuerpien-  
ses exinde multa hausisse subsidia . *Hucusque Marthenne* , qui in hac  
ultima sua observatione non fallitur ; nam Jesuitæ Antuerpienses ,  
**Continuatores Bollandi** , in suis Actis Sanctorum præfatam Colle-  
ctionem Böddecensem frequenter collaudant , ut patet insipienti-  
bus . Quod verò Vir clarissimus afferat , Abbatiam Böddecensem  
ab initio fundatam esse pro Monialibus Benedictinis , nescio , quo  
id adstruat fundamento , ac documento veteri . Certum enim est  
**ex antiquis monumentis** , Abbatiam illam ab initio fundatam esse  
pro Canonissis sub Regula Aquisgranensi militantibus , quæ , utrum  
habendæ sint pro Regularibus , vel Sæcularibus , non est hujus loci  
disceptare . Doctam de hac re Dissertationem edidit Adm . R . P .  
Hermanius Buscribaum , celebris scriptor Societatis J E S U in suo  
præclaro Libello ; *Lilien under den Dörneren* , ubi ostendit , Regu-  
lam Aquisgranensem non solum in varijs Monasterijs Canonissarum  
Sæculo nono observatam esse , sed ejus observantiam in Monaste-  
rio ad S . Cæciliam Coloniæ usque ad Annum 1474 . perdurasse .  
Idem testatur , Canonissis Aßlindiensis Monasterij ( in Essel ) ab  
Alfrido Episcopo Hildesiensi in litteris foundationis Anno 877 . Re-  
gulam Aquisgranensem Canonissarum præscriptam esse ; atque can-  
dem affirmat receptam fuisse à primis Canonissis Böddecensi-  
bus mox in ipsa primæva fundatione .



N. II.

## N. II.

**E X C H R O N I C A**  
**T H O M Æ D E K E M P I S**  
**C A N , R E G .**

D E

Reformatione Monasterij in Budiken.

**A**nno Domini M. CCCC. nono, Dominus Wilhelmus de Monte electus Paderbornensis, incepit reformare Monasterium in Budiken, transferendo illud de statu Canonicarum Sæcularium ad statum Canonicorum Regularium, ac privilegium translationis super hoc edidit, in cuius fine sic habetur: *Honorabilis viro Domino Joani Wael, Priori Monasterij in Zwollis Trajetensis Diocesis, tradimus, concedimus, & assignamus per præsentes, ita quod ipse Ecclesia & Monasterio in Budiken, prout facultas suppetit, Congregationem convenientem virorum DEO devotorum, Canonicorum videlicet Regularium, Religioni sui Monasterij in Zwollis conformiun, juxta ejusdem Religionis exigentiam ibidem constituar. Præsertim cum sanctus Meinulphus ejusdem Monasterij Fundator, Religionis illius NB. creditur esse Professor, Priorem seu Prepositum ipse Congregationi præficiat, prout ei visum fuerit expedire.* Ex eis, Chron. Mon-tis S. Agnetis p. 166.

## N. III.

*Testimonium de Monasterio Böddecensi ex Gobelino,*

*& Monumentis Paderbornensibus.*

**B**öddecense Monasterium circa Annum 816. fundari cæptum, S. MEINULPHO sua debet initia. Hunc nobilibus parentibus exortum Carolus M. postquam Westphalos subegit, de S. fonte levaverat, & matrem ejus Wichtrud dictam, patre ejus defuncto in suam protectionem receperat; quoniam Frater mariti defuncti vim stupri eidem conabatur inferre. Factus postea Canon-

GVS

eus & Archidiaconus in Ecclesia Paderbornensi de bonis paternis Monasterium Monialium seu Canonicarum Regularium in villa Böddiken Paderbornensis Diæcessis, fundavit & dotavit. *Ita fere Gobelinus Persona in Cosmodromio etat. 6. cap. 40.* Quod hic Author anno 1418. absolverat, & excusum extat cum notis inter Script. rer. German. Henrici Meibonij junioris Tom. 1. p. 53. Etsi verò idem Gobelinus Persona c. 41. subjungat; *Quod Meinulphus* (qui erat unisex legatis, quos Anno 836. B. Badurarus Episcopus Paderbonensis ad reliquias S. Liborij impetrandas ad Cenomanos miserat) in Ecclesia S. Vincentij Cenomanensis vovit Monasterium Sanctimonialium fundare, in honorem B. Mariae & S. Liborij, in loco qui dicitur Podicon; & Cranzius Metropol. lib. 1. cap. 28. afferat, ideo S. Meinulphum fundandi Monasterij votum nuncupasse, ut prosperare dignaretur DEUS legationem eorum. Nulla tamen hujus voti apud Cenomanos nuncupati fit mentio in vita S. MEINULPHI, quæ extat, & quam ipse Gobelinus conscripsit. Imò huic narrationi adversari videtur, quod S. MEINULPHUS jam ante, quam ad Cenomanos legatus iret, Ludovicum Pium Imperatorem, suasu Baduradi Episcopi Anno 816. Aquisgrani in Concilio Provinciali accesserit, facultatem ædificandi Monasterium ab eo impetraturus, & quod Ludovicus grato animo petitionem ejus acceptans, litteras suo signatas Sigillo super suo consensu gratosè concesserit. *Vita S. Meinulphi ex ea Baronius ad Annum 816.*

De fundatione antiquissimi hujus olim Canonissarum, nunc Canonicorum Regularium Monasterij aliquantò acutius agunt veteres Böddicenses litteræ, his verbis: “ Beatus Meinulphus divina revelationis instinctu, caelestique visione instrutus quoddam Monasterium; quod Westphalica lingua Böddeken, quasi parvum dolium appellavit, in terra patrimonij sui, approbante Imperatore, qui tunc Aquisgrani fuerat, solenniter construxit, & ipsum Monasterium de bonis suis temporalibus, quæ multa erant, largiter dotavit: & inibi nobiles faminas & devotas, quæ vulgariter Opemvros wen (id est Canonissæ) nuncupantur, instituit, quibus sanctus Vir omnem foris evagandi occasionem in vim majoris stabilitatis precludere volens, prævida dispensatione constituit sex Armigeros circumiacentes, tanquam Procuratores Monasterij predicti, quibus bona sua abundantiter distribuit, tam in villis, quam in grangij, ut de his bonis Monasterio predicto certis temporibus anni omnia necessaria pro victu & vestitu ministrarent. Sed & alijs vasallis Armigeris bona

bona pheodalia contulit, ut & ipsi essent fideles defensores Monasterij praetacti  
 & subjecti eidem. Propter hoc omne jus infeodandi, & conferendi ipsa bona  
 pheodalia transtulit in ipsas Dominas, & earum Monasterium. Porro his mu-  
 nitionibus faminarum non contentus sanctus Pater Meinulphus potentiores no-  
 biles de vicinis constituit in Praefectum & defensorem omnium bonorum Mo-  
 nasterij ac causarum emergentium, quantumcunque certis sibi bonis ac perso-  
 nibus de singulis Officijs, ut commodius onus hujusmodi portare posset, depu-  
 tatis, ut his vallata circumquaque tutoribus predicta famine DEO devotis fa-  
 mularentur obsequijs. Cujus quidem ordinationis & institutionis dispositio  
 litteris sigillatis expressius habetur in predicto Monasterio, & stetit hac ordi-  
 natione per plures annos post mortem beati viri Meinulphi. Sed heu convene-  
 runt inimici omnis Religionis, dignitas generis, orium & voluptas, & castra  
 DEI ac patrimonium Christi funditius devastantes nihil reliquerunt, proinde  
 dicti officiati & vasalli bona sibi deputata pro ministracione necessariorum Mo-  
 nasterij sibi appropriarunt, vendiderunt, & hereditibus suis tanquam propria, ne-  
 mine contradicente reliquerunt. Ita Böddecensis Monasterij Virgines  
 multis domesticis difficultatibus conflectatas, haud minoribus dam-  
 nis atque injurijs externi affecerunt, quando Nobiles de Fürstenberg ex  
 Watterlappe, propter Nobiles de Brencken Ecclesiam Böddencensem una cum Mo-  
 nasterio incenderunt, id damnum ipsos quidem Fürstenbergios resarcisse, sed dono  
 ab alijs interverso, nihil inde commodi Böddencenses esse consécutos, in litteris  
 suis Böddencenses ipsi, jure conqueruntur. Veruntamen ne similes in  
 Paderbornensem ditionem incursions deinceps fierent, Henricus  
 Spiegelius, Episcopus Paderborn. cavyere videtur voluisse his litteris,  
 quas latinè vertit Auctor Monum. Paderborn. & Arnoldus do Bren-  
 cken, nobili genere, virtute ac doctrina vir æquè conspicuus in sche-  
 dis suis repertas, & ab Henrico Paderbornensi Episcopo, securitatis  
 utique causa, ipsius majoribus relictas, eidem antehac communica-  
 verat. Nos Wenemarus de Forstenberg, & Fridericus ejus filius præsentibus lit-  
 teris profitemur & testatum facimus, nos cum Venerabili D. Episcopo Paderbor-  
 nensi Henrico in hæc pacta amicè convenisse, quod omnibus actionibus, que nobis  
 in illum & illius subditos possent competere, supersedebimus, quodad predictus Do-  
 minus vixerit. Quod si autem inter ipsum aut ejus subditos, & nos nova deiz-  
 ceps oriiretur controversia, eam intra quatuor hebdomadas, coram Episcopo pre-  
 dicto, jure prosequemur: quo temporis spatio, si jus redditum non fuerit, liberum  
 nobis erit, salva hac transactione, cum audire, qui jus nostrum nobis tribuat.

Contra.

Contra si Episcopo , aut illius subditis nova nobiscum controversia post hanc intercedet , eaque super re appellabimur , intra proximas quatuor hebdomadas id , quod justum erit , faciemus . Casu autem , quo Episcopus Officio Mareschalli obiret Westphaliae & Coloniensis bellum inferret , fas erit nobis , salvis his pactis , Coloniensi Archi- Episcopo opitulari . Porro si Episcopus aut illius subditi nos hostiliter aggredierentur , salvis item litteris , nobis licebit vicissim hostilia facere . Quae uti conventa sunt , nos Wenemarus ac Fridericus ejus filius bona fide , qua juramenti loco valeat , firmiter ac sine dolo nos obseruaturos pollicemur . In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus litteris appendimus . Datum anno Domini M. CCCLXX . feria quinta post octavam Apostolorum . Böddecensis igitur Monasterij fortunis una cum disciplina & cultu divino miserandum in modum ita dilapsis , ut ex omnibus ipsius ædificijs sola Ecclesia , plus tamen simo & immunditia ejus testantibus , pro receptaculo bestiarum , quam pro divini cultus exhibitione perduraret , & in Capellis eidem Ecclesiaz quondam annexis , tunc verò dirutis , imo super ipsa Altaria Capellarum , sicut in saltu , virgulta succrescerent , & tam Canonicæ quam Rector Parochialis curæ , ac etiam Clerici cæteri , solâ Abbatissâ ibidem in tugurio rusticano degente , terram fructiferam tanquam eis versam in falsuginem abhorrentes , locum ipsum dudum reliquerint , Walburgis de Walde , Abbatissa Böddecensis ipsam Abbatiam cum Monasterio , reservato sibi usufructu certæ pensionis annuae , Wilhelmo de Monte Episcopo Paderbornensi , Anno 1408 . Indict . I . Kal . Septemb . resignavit : is verò Anno 1409 . 17 . Mens . Julij , idem Monasterium à se reformatum honorabili viro Joanni Wail Priori Monasterij Canonic . Regularium in Swollis , Traiectensis Diæcesis , tradidit , concessit , & assignavit . Ex Antiquis litterarum Böddecensium Monumentis , & Gobelini Personæ Cosmodromio etat . 6 . cap . 90 . Monumenta Paderbornensia superius citata . pag . 204 . & seq . Videatur etiam Vita S. Meinulphi apud Surium . Item Nicolaus Schatenius P . I . Annal .

Paderborn , p . 112 . & seq .



N. III.

## N. III.

*Testimonium M. Joannis Buschij Canonici Regularis Congregationis Windesheimensis Libro ii. de Reformatione Monasteriorum.*

**S**cipio Buschius præter alia Lib. 4. de Reformatione Monasteriorum editos à Leibnizio, testaturque se usque ad Annum Domini M. CCCCLXXIII. *Ambulasse in Religione plus quam sex millia quingenta & viginti milliaria ad diversa Monasteria reformanda, ad centum viginti pene civitates & oppida, præter villas interjacentes.* Lib. 2. cap. 6. de Reformatione Monasterij S. Meinulphi in Böddeken leguntur sequentia.

Monasterium in Böddeken Ordin. Canon. Regul. Paderbornensis Diæcessis à prima Fundatione Moniales possederunt sub sancto Patre MEINULPHO, qui Ordinis nostri \* fuisse prædicatur canonizatus, & ipsius primus Fundator. Dominus autem Joannes Wael vir proceræ staturæ, satis eloquens & persuasivus, Prior Zwollensis in Bethlehem Ordinis nostri, dictum Monasterium ab Episcopo Paderbornensi, & suo Capitulo sucepit reformatum, & quod paucæ ibi erant Moniales, in spiritualibus & temporalibus ubique deficientes, ipsum in Monasterium Canonicorum Regularium erigi procuravit, & Fratres Monasterij Zwollensis in illud induxit. - - - Postquam autem Præpositus Nussiensis cum omnibus Prioribus sibi capitulariter unitis ad Capitulum de Windesheim se dedit, & illi capitulariter se incorporavit, Monasterium in Böddeke præfatum, quod erat unum ex illis, etiam se Capitulo Generali de Windesem colligavit. - - - Prior de Richenberg Joannes Klücker, & ego Joannes in Sulta Prior ultra 6. annos Visitatores eorum ( Böddencium ) existentes, invenimus ibi præsentes Fratres, Priorem, XXVI. Conventuales, conversos & Laicos sive Familiares præsentes centum septuaginta tres, & habent nunc foras in alijs Monasterijs Ordinis nostri Fratres quinquaginta sex, quorum alij sunt Piores, alij Rectores, alij Con-Reformatores, & socij Reformationis. - - - Hæc subiecta Monasteria per Piores & Fratres de Böddike præfatos novimus reformata, videlicet Molenbecke Mindensis Diæc. Hirtzenhagen Moguntiensis Diæc. Fürstengarten Wormatiensis Diæc. Hegenen Wormat. Diæc. In Insula Trevirensis Diæc. Eich Colonensis Diæc. Dalem Babenbergenis Diæc-

Diæc. *Truttenhusen* Argentinensis Diæc. *Eversclusen* (Eberhartsclausen) Trevir. Diæc. *Basileæ S. Leonhardi* Basiliensis Diæc. *Marbach* Basilienlis Diæc. *Artogasti* Argentinensis Diæc. *Rehcorp* Eystettensis Diæc. *Birlinghe* Herbipl. Diæc. *Franckentale* Wormat. Diæc. *Haidenfeld* Herbipl. Diæc. *Zwahlenheim* Mogunt. Diæc. *Revenberch* Mogunt. Diæc. *Volckyrinckhusen* Paderborn. Diæc. *Blomenborck* Paderborn. Diæc. *Mayen* Trevirens. Diæc. simul computata XX. Monasteria. Ecce quantus fructus animalium de Monasterijs bene reformatis in campis constitutis. *Hucusque Buschius.* Tom. II, scriptorum Brunswicensium apud Leibnizium.

\* Agunt Canonici Regulares Congregat. *Windesheimensis* quinto Octobris sub ritu duplice de S. MEINULPHO tanquam de sancto Ordinis una cum alijs Germanica utrinusque sanctis Patronis, quales sunt SS. Bonifacius, Rupertus, Udalricus, Wilibaldus, Chilianus, Gallus, Wolfgangus, &c. Videri de his poterit Proprium dicta Congregationis Colonia impressum Anno 1701.

## N. V.

### *De Statu veteri Congregationis Windesheimensis.*

**E**x Codice M. S. circa finem Seculi XV. Littera D. ad extra notata in Canonia S. Nicolai extramuros Pataviensem 4.

**S**unt in partibus Saxoniæ, Westphaliæ, Frisiæ, Hollandiæ, Sealandiæ, Brabantia, & præcipue in Provincijs & Diæcesibus Colonensi, Moguntinensi, Trevirensi, Magdeburgensi, Hildesiensi, Halderstadensi, Monasteriensi, Paderbornensi, Leodiensi, Traiectensi, Cameracensi, Lubecensi, ac in locis conterminis quam plura Monasteria Ordinis Canonicorum Regularium in optima Observantia numero ferme LXX. mutuo sibi incorporata & unita unumque *Capitulum Generale* representantia. Quod quidem Capitulum Generale singulo anno celebrare consueverunt in quodam solempni Monasterio dicto *Windesheim* propè *Swollis* Traiectensis Diæcesis, ad quod singuli Prælati uno sibi associato Fratre quolibet anno confluunt, tractantes de continuatione laudabili Regularis disciplinæ.

Sunt præterea quam plurima Monasteria Virginum ejusdem Ordinis & Observantiæ, laudabiliter viventes, operi textrino in lana & lino operam dantes, similiter & in libris scribendis; commorantur.

in -

in plerisque Monasterijs Virgines in magno copioso numero. Vidi  
ego Frater N. de Reno, natus de Westphalia, & in hujusmodi Ob-  
servantia ab ineunte ætate educatus Monasteria Virginum, ubi in  
una Domo commorabantur ferme centum & quinquaginta Virgines  
devotissimæ. Taxatus fuit numerus Virginum tempore Legationis  
Reverendissimi in Christo P. ac D. D. Nicolai (*de Cusa*) tituli S. Pe-  
tri ad Vincula Presbyteri Cardinalis Episcopi Brixinensis in Diæcesi  
Trajetensi & in vicinia commorantium, in optima Observantia ad  
millia. Apparent hæc incredibilia, nihilominus tamen sunt vera, &  
qui vidit, testimonium perhibuit.

Deputantur singulis annis in Capitulo Generali Visitatores Mono-  
steriorum, tam Fratrum Ordinis quam Virginum, & habent Statuta  
salubria, & discretè ordinata in 4. Libros partiales distincta, quarum  
duas partes medias habent Fratres in Nova-Cella propè Brixinam  
ejusdem (Ordinis) apportatas illuc per Fratrem prædictum Hermannum  
(a) Priorem Monasterij *Novi Operis* propè Hall Magdeburgensis Diæce-  
sis, qui in hujusmodi Observantia conversatus est annis ferme tri-  
ginta.

(a) *De hoc ipso Hermanno leguntur apud Leibnizium Tomo II. pag. 489.*  
a Buschius scripta, quæ sequuntur. Hermannus Rijd de Rene annorum 19.  
intrat Monasterium in Wittenborch anno Domini 1427. anno 1447. mit-  
titur Hallis ad Novum Opus reformatum. Ibi post annum professus Prio-  
ris tenuit Officium. Missus inde anno Domini 1455. in Italiam (l. Tyrolim)  
ad Monasterium Novicellæ propè Brixinam ob regatum Cardinalis Nicolai  
de Cusa. Ibi per annum stetit, ordinando de Observantia Regulari. Anno  
Domini 1456. revocatus per Episcopum Magdeburgensem suscepit Parochiam  
S. Mariae propè Hallis gubernandam. Ibi tamen post labores plures obiit in  
pace anno Domini 1476. feria quarta Cinerum. Sequitur in Codice San-  
Nicolaitano testimonium de Authore libri de *Imitatione Christi* in  
Scuto Kempensi Coloniae 1728. impresso adductum,  
& huic subjunguntur quæ sequuntur



Q 3

Nomina

*Nomina Domorum Capitulo Windesheim incorporearum & unitarum.*

**D**omus B. Mariæ in *Windesheim* Dominij & Diæcis Trajectensis.  
 Domus B. Mariæ propè *Nussiant* Dominij & Diæc. Coloniensis.  
 Domus B. Mariæ *Viridis Vallis* in Brabantia Diæc. Cameracensis.  
 Domus B. Mariæ in *Zwollis* Dominij & Diæc. Trajectensis.  
 Domus B. Pauli *Rubea Vallis* in Brabantia Diæc. Cameracensis.  
 Domus B. Mariæ in *Trajecto inferiore* in Civitate.  
 Domus Salvatoris Mundi in *Eymistein* in Hollandia Diæc. Traject.  
 Domus B. Mariæ *Septem Fontium* in Brabantia Diæc. Camerac.  
 Domus *Fontis B. Mariae* propè *Arnheim* Dominij Gelriensis Diæc.  
 Traject.  
 Domus *Nova Lucis* propè *Horn* in Frisia Diæc. Traject.  
 Domus *S. Joannis* propè *Amstelredam* in Hollandia Diæc. Traject.  
 Domus *Nemoris B. Mariae* propè *Northorn* Diæc. Monasteriensis.  
 Domus B. Mariæ in *Kiresendonck* in Brabantia Diæc. Camerac.  
 Domus *B. Agnetis* in Monte propè *Swollis* Diæc. Traject.  
 Domus *Vallis Angelorum* in *Leid*, quod in Hollandia Diæc. Traject.  
 Domus *B. Elisabeth* propè *Brilis* in Seelandia Diæc. Traject.  
 Domus B. Mariæ in *Griesdonck* Dominij Gelriensis Diæc. Coloniensis.  
 Domus *B. Catharina* juxta *Novimagium* Diæc. Colon.  
 Domus *Visitationis B. Mariae* propè *Harlem* Diæc. Traject.  
 Domus S. Salvatoris in *Thabor* in Ost-Frisia Diæc. Traject.  
 Domus B. Mariæ in *Bethlehem* in Brabantia Diæc. Leodiensis.  
 Domus S. Meinulphi in *Büddecken* Diæc. Paderbornensis.  
 Domus Stagni S. Petri in *Bonnel* in Gelria Diæc. Traject.  
 Domus S. Mariæ in *Remerswale* in Jelaer Diæc. Traject.  
 Domus B. Mariæ in *Throno* in Brabantia Diæc. Cameracensi.  
B Domus *S. Joannis Waptistæ* in Urbe *Aquisgranensi* Diæc. Leodiensis.  
 Domus B. Mariæ propè *Amersfordiam* in Gelica Diæc. Traject.  
 Domus S. Jeronymi in *Valle Pacis* Diæc. Traject.  
 Domus quæ dicitur *Galilea* propè *Aldennarden* in Flandria Diæc. Tornacensis.

Domus

- Domus propè *Endoniam* in Brabantia Diæc. Leodiensis.  
 Domus Campi B. Mariæ in *Esinzen* in Ost-Frisia Diæc. Bremensis.  
 Domus B. Mariæ in *Bodingen* Dominij Montensis Diæc. Coloniensis.  
 Domus S. Salvatoris in *Ewig* propè Attendorij Diæc. Coloniensis.  
 Domus Passionis Christi in *Tongris* Dominij & Diæc. Leodiensis.  
Burg  
 Domus B. Mariæ in *Weissenwurg* in Saxonia Diæc. Hildesemensis.  
 Domus S. Martini in *Ludenkirchen* in Ost-Frisia Diæc. Bremensis.  
 Domus in Syon propè *Benerwick* Diæc. Traiect.  
 Domus B. Mariæ in *Reichenberg* in Saxonia Diæc. Hildesemensis.  
 Domus B. Elizabeth propè *Ruremunda* Diæc. Leodiensis.  
 Domus Bonorum Puerorum in Civitate Leodiensi.  
 Domus in *Nazareth* propè *Bredernöt* Diæc. Monasteriensis.  
B  
 Domus Montis B. Mariæ in *Aningen* in Frisia Diæc. Traiect.  
 Domus S. Warholomei in *Sulta* propè Hildesheim.  
 Domus B. Mariæ in *Hynzenhagen* Diæc. Moguntinensis.  
 Domus B. Mariæ in *Mello* juxta Gandavum Diæc. Cameracensis.  
 Domus S. Dionysij in *Molenbeck* Diæc. Mindensis.  
 Domus *Horti B. Mariae* juxta Wormatiam ejusdem Diæcesis.  
 Domus *Busti Isaæ* juxta Nivellam Diæc. Cameracensis.  
 Domus B. Mariæ juxta Segenberg in Holsatia Diæc. Lubecensis.  
 Domus S. Jeronymi in *Ruremunda* Diæc. Leodiensis.  
 Domus S. Petri in *Hegenæ* in Comitatu Lunegen Diæc. Wormaticæ.  
 Domus B. Mariæ in *Insula* propè *Confluentiam* Diæc. Treverensis.  
 Domus B. Mariæ in *Sile* in Ost-Frisia Diæc. Monasteriesis.  
 Domus B. Antonij in *Albergen* propè Aldenseel Diæc. Traiect.  
 Domus S. Nicolai in *Bergum* propè Lewerdam Diæc. Traiect.  
 Domus Venerab. *Corporis Christi* in Colonia.  
 Domus S. Petri in *Dalheim* Diæc. Paderbornensis.  
 Domus S. Viti in *Neerden* in Hollandia Diæc. Traiect.  
 Domus S. Nicolai in *Truttenhusen* Diæc. Argentinensis.  
 Domus S. Pancratij in *Hamersleve* Diæc. Halberstadiensis.  
R  
 Domus S. Spiritus in *Udem* in Territorio Clevensi Diæc. Colonie.  
 Domus S. Joannis Waptistæ in *Rebdorff* Diæc. Eystettensis.  
 Domus B. Jéronymi in *Leyden* in Hollandia Diæc. Traiect.  
 Domus B. Mariæ in *Ebertsclusen* Diæc. Trevirensis.  
 Domus B. Martini in *Lovania* Diæc. Leodiensi.

Domus

Domus B. Mariæ in *Brickling* Diæc. Herbipolensis.  
 Domus S. *Leonhardi* in *Basilea* ejusdem Diæcesis.  
 Domus S. *Hirenei* Martyris in *Marbach* Diæc. Basiliensis.  
 Domus *Rosa Vallis* B. Mariæ in *West-Frisia* Diæc. Traject.

*Domus Monialium sub eodem Capitulo.*

**I**N Civitate *Amsteldam* in Hollandia Diæc. Traject.  
*Thenis* in Brabantia Diæc. Leodiensis.  
*Depenven* in Diæcesi Trajectensi.  
*Retichen* in Gelria Diæcesis Trajectensis.  
*Bonopia* propè Campis Diæcesis Trajectensis.  
*Vallis Angelorum* in Bonna Diæcesis Coloniensis.  
*Jerusalem* propè Trajectum ejusdem Diæcesis.  
*Dordracum* in Hollandia Diæcesis Trajectensis.  
*Bethania* propè Mechlinicam in Brabantia Diæcesis Cameracensis.  
*Bethania* propè Arnheim in Gelria Diæcesis Trajectensis.  
*In Gandavo* in Flandria Diæcesis Cameracensis.  
*In Antwerpia* in Brabantia Diæcesis Leodiensis.  
*Mors B. Maria* juxta Novimagnum Diæcesis Coloniensis,


O. A. M. D. G.











Probus:  
Chronicon  
Monasterii  
Rodecensi

Th

4956